



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Dispytatio XV. De iis quæ spectant vniuersim ad animam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

10

DISPVATIO I.

Ordine XV.

*De iis quæ spectant uniuersim
ad animam.*



La

QVÆSTIO I.

De quidditate animæ propria.

fo

SECTIO I.

*Propria quidditas, & verus conceptus rei
viventis & vita.*

9

Duplex dif-
ficultas.

Ra

10

1

39

17

1

tendere ab intrinseco, vel in obiectum intra se cognoscendum, vel in terminum intra se producendum.

Hæc explicatio habet multa difficulta. Primò enim quando dicitur, quod Deus habeat perfectionem suam ab intrinseco, significatur tantum, quod illa sit improducta; hoc autem non conuenit creaturis: ergo tendere ab intrinseco non est conceptus vitæ communis Deo & creaturis. Deinde Deus non minus ab intrinseco est immensus, quam intelligens: ergo si vita est perfectio ab intrinseco, Deus viuet per immensitatem æquè ac viuit per intelligentiam. Præterea si Deus poneret expressam aliquam speciem in intellectu meo, non diceret viuere aut intelligere, vt dicitur *quæstion. 4.* & tamen haberem tendentiam ab intrinseco, quia per aliquid intrinsecum tenderem: ergo illa tendentia non est vita. Denique generatio viuientis non erit vitalis, cum non sit tendentia ab intrinseco in aliquid intra se cognoscendum aut producendum. Et ignis agit vitaliter, cum producat in se vñionem cum alio igne.

Quarta explicatio.

Quarta demum sententia prioris affinis, quam tamen impugnat, duplicem distinguit vitam; alteram physicam, quæ intus suscipitur est; alteram intentionalem, quæ tendentia est intentionalis in obiectum.

Hæc etiam explicatio videtur improbabilis, quia primò sequitur, quod nullus datur conceptus genericus communis vitæ intentionali, & vitæ physice; quid enim habent commune intus suscipio, & tendentia grammaticalis in obiectum? Sequitur ergo quod vna ex illis vitis non est nisi æquiuocè vita, cum nullus vtrique communis conceptus detur. Sequitur etiam motum progressuum animalis non esse vilo modo actum vitalem, quia nec est intus suscipio, neque tendentia grammaticalis. Idem dico de generatione, quæ non erit etiam actus vitalis, cum non sit etiam intus suscipio. His itaque reiectis, quæ sine dubio non satis explicant communem conceptum vitæ,

Conceptus vitæ creatæ.

Dicendum videtur primò, quod viuere, prout conuenit omnibus rebus creatis, est immanenter operari postquam est constitutum in suo esse connaturali, seu mouere seipsum post acquisitam perfectionem totam connaturalem.

Ratio est, quia inter operationes immanentes alia est operatio, quæ res constituitur in suo esse connaturali, vt sunt productiones omnes proprietatum, motus grauium & leuium; alia quæ res in se ipsis producant aliquam formam non debitam connaturaliter, vt cum intellectus producit in se cognitionem, quando animal mouetur motu progressiuo; non enim in statu est violento quando quiescit. Ad rationem vitæ non satis est quod aliquid primo modo exerceat suas operationes, conuenit enim omnibus non viuientibus; grauium enim & leuium mouentur ab intrinseco, vt probauimus. Nihil autem appellatur viuens in creatis nisi quod operatur immanenter postquam est constitutum in statu connaturali; vegetantia enim nutriuntur & crescunt; sentientia & intelligentia producant in se ipsis cognitiones sensitiuas & intellectiuas; & contra quicquid est non viuens, operatur solum transeunter post acquisitum statum connaturalem: ergo conceptus vitæ communis omnibus rebus creatis est operari immanenter post acquisitum statum connaturalem.

Sed insoluta tamen adhuc manet præcipua difficultas, quia vita perfectissima, vt sæpe dixi, Deo competit, qui tamen non operatur in seipso

aliquid indebitum statui suo connaturali; nam intellectio & volitio, quæ sunt operationes vitales perfectissimæ, sunt essentialiter Deo debita. Igitur operari aliquid immanenter, quod non pertineat ad statum connaturalem operantis, esse non potest conceptus vitæ communis, tum diuinæ, tum creatæ.

Dico secundò. Conceptus vitæ communis Deo & creaturis est posse semper operari immanenter, etiam post acquisitum statum connaturalem. Ita docere videtur Suarez *lib. 1. de anima, c. 4. n. 21.*

Probaturque, quia ille verus est conceptus vitæ communis viuienti, tum creato, tum increato, qui conuenit Deo, & omnibus creatis, quæ sunt viuentia; non conuenit autem vlli creato non viuenti: sed posse semper immanenter operari in seipso etiam post acquisitum statum connaturalem, conuenit Deo, quia Deus semper intelligit & semper amat, neque vnquam cessat ab actione. Non dico quod Deus producat in seipso aliquid indebitum post acquisitum statum connaturalem; hoc enim repugnat cum illo esse, quod est totum suum esse; sed dico Deum operari semper in seipso etiam postquam habet totum quod exigit naturaliter, quia indefinenter intelligit & amat indefinenter: ergo ille conceptus verè conuenit Deo, qui semper in actu est per seipsum; & hæc est eius vita.

Deinde ille conceptus vitæ conuenit etiam omnibus rebus creatis viuentibus: nam vegetantia semper possunt immanenter operari; semper enim possunt nutrir, & crescere postquam in statu suo connaturali constituta sunt. Idem patet in sensitiuis & intellectiuis, quæ postquam adepta sunt debitam perfectionem, adhuc immanenter operantur. Sed in hoc tamen à Deo differunt, quod semper sit in actu, & operetur immanenter per essentiam, neque producat in seipso aliquid indebitum; creaturæ verò non sint semper in actu per essentiam, sed producant in seipsis aliquid indebitum postquam sunt constitutæ in statu connaturali. Denique ille conceptus nulli rei conuenit: non viuenti, nam grauium & leuium, etiam si moueantur ab intrinseco, & operentur immanenter quando sunt extra statum connaturalem; tamen postquam constituta sunt in loco proprio, cessant statim ab omni actu, & quiescunt. Essentia rerum, postquam per emanationem suas produxerunt proprietates, non amplius illas producant, sed solus Deus illas conseruat ad earum exigentiam: ergo posse immanenter operari post acquisitum statum connaturalem, non conuenit rebus non viuentibus: ergo ille videtur esse proprius conceptus vitæ, quem assignauimus semper esse posse in actu ultimo per seipsum.

Obiicitur primò. Operatio vitalis est aliqua operatio producta in principio à quo est, si verum est quod viuere non est aliud quam posse semper agere immanenter: sed intellectio & volitio diuina non sunt operationes productæ in eo principio à quo sunt, quia sunt aliquid improductum: ergo iuxta illam expositionem intellectio & volitio diuina non sunt actus vitales.

Respondeo negando maiorem; operatio enim vitalis in vniuersum non est operatio producta in eo principio à quo est, sed est operatio existens in eo cuius est operatio. Intellectio & volitio diuina huiusmodi sunt, quia sunt veri actus secundi & tendentiæ in obiectum, quamuis sint aliquid improductum; non enim dixi, quod viuere sit producere in seipso aliquid, sed operari immanenter,

L 1 4 seu

seu tendere in obiectum, & actus vitalis tendentia vel in obiectum, vel in terminum post totam constitutionem naturalem obtentam; omnis enim actus vitalis operatio est, prout operatio significat tendentiam, non prout operatio significat productionem alicuius termini.

Secunda obiectio.

Obiicitur secundò, multa esse non viuientia, quibus conuenit assignata ratio vitæ: nam habitus & species impressæ non sunt vitales & viuentes, & tamen operantur immanenter post acquisitum statum connaturalem. Deinde ignis dum aggenerat sibi alium ignem, producit in se vnionem cum illo igne, quæ non est debita statui eius connaturali: ergo ille conceptus vitæ conuenit rei non viuenti.

Respondeo viuens in actu primo aliud esse substantiale, aliud accidentale. Substantiale est ipsa substantia viuens, quæ est primum principium operationum: illud est compositum, vel anima sola. Viuens accidentale est principium accidentale, per quod anima producit actum vitalem, cuiusmodi sunt omnes potentie animæ, quas certum est esse vitales, quia per illas suppositum agit in seipso; si tamen illæ sunt aliquid distinctum ab anima, de quo postea videro. Vtrum autem species & habitus, aliaque qualitates ministræ potentie nutritiæ, vt calor vitalis, sint viuentes, quaestio esse non potest nisi de nomine. Si enim viuens accidentale illud dicatur, quod est subiecto ratio producendi ab intrinseco, verè habitus & species impressæ vitales sunt; si verò intelligatur illud quod ita est ratio producendi terminum vitalem, vt sit etiam debitum principio radicali ab instanti suæ generationis, certè habitus & species non sunt vitales. Ignis quando aggenerat sibi alium ignem, producit in se vnionem per iuxtapositionem, sed non per intussusceptionem; quod non est proprium nisi solius viuentis.

Tertia obiectio.

Obiicitur tertio, quædam esse viuentia, quibus definitio illa vitæ non conuenit; nam generatio viuentis est actio vitalis, & tamen non est immanens: ergo viuere non est agere immanenter. Deinde accretio est actus vitalis, & tamen illa est aliquid debitum animali & plantæ. Quid enim v. g. homo faceret in ea magnitudine, in qua primò formatur, & in qua nec videre, nec audire potest, nec ratiocinari? Hic enim status tam est violentus homini, quam lapidi non existere deorsum: ergo accretio non est magis vitalis homini quam lapidi motus deorsum.

Respondeo, generationem esse actum vitalem non solum ratione matris, intra cuius uterum efficitur; sed etiam ratione seminis, cuius productio verè vitalis est. Homini & plantæ debetur accretio pro complemento accidentali, non autem pro complemento essentiali: nam illa augmentatio, quæ homo acquirit id quod ex sua natura exigit, non est vitalis proprie loquendo, sed tunc incipit esse vitalis, quando adeptus est homo complementum essentiali, licet etiam vitalis dici possit prima augmentatio, quia procedit ab eadem potentia vitali, & eodem modo per intussusceptionem, à qua deinde procedit accretio proprie vitalis: at verò non viuentia immanenter agunt ad acquirendum complementum essentiali, & eo obtento cessant agere immanenter, in quo deficiunt à vera ratione vitæ.

SECTIO II.

Propria quidditas, & vera definitio animæ.

Postquam dixi vniuersum generalem conceptum vitæ, nunc inquirendum mihi est, quid sit anima, circa cuius quidditatem video infinita delirasse veteres Philosophos, quæ refert & reicit Aristoteles *1^o lib. 1.* Dabunt autem plurima Cicero *Tuscul. lib. 1.* Theodoretus *lib. 6. Græcicarum affectionum, in 1^o*, Plutarchus *lib. 4. de placitis, cap. 2.* Plotinus *lib. 7. Enneadis 4.* Nemesius *de natura hominis cap. 2.* Nyssenus *disput. de anima, Iustinus in Paranesi.*

Possunt autem referri ad tres potissimum classes sententiæ illæ omnes. Prima eorum est, qui ex motu animæ naturam inuestigabant. Democritus enim credidit animam esse aliquid concursu fortuito conflatum, ex corpusculis insectilibus & rotundis, quæ perenni agitantur motu. Pythagoræ dicebant, animam esse illas atomos, quæ semper in aëre mouentur, vel morticem illarum causam. Aiebat Anaxagoras animam non esse aliud quam originem & fontem vniuersi motus.

Secunda classis eorum est, qui animæ naturam ex principiorum cognitione venabantur. Plato volebat animam ex harmonicis componi numeris: sed hoc symbolicum erat, significabatque animam continere in se numeros rerum omnium; alias autem vocauit animam numerum qui se mouet. Heraclitus voluit animam esse calidam exhalationem, Diogenes aërem, Thales humorem, Critias sanguinem, Empedocles harmoniam quandam & temperaturam elementorum: Galenus animam appellat *ψόδιον*, seu temperiem primarum qualitatum, quia illa excisâ moritur animal: Aristoxenus musicus voluit animam simili ratione constare in homine qua consors modulatio constat in cantu & fidibus. Consentiant heretici plures apud Theodoretum *lib. de diuinis decretis*, Carpocrates, Epiphaneus, Caiani.

Tertia classis est eorum, qui volebant animam ex spiritali & corporeo coalescere debere, vt per totum corpus diffundi posset. Vocauit eam Zeno concretum corpori spiritum: Hippocrates censuit animam esse tenuem quandam spiritum toto dispersum corpore. Denique plures heretici apud Irenæum *lib. 1. cap. 24.* & apud Augustinum *lib. de hæresibus, c. 46.* aiebant animam esse particulam quandam substantiæ diuinæ.

Verum reiectis illis omnibus sanè deliriis, Aristoteles *lib. 2.* aliter quidditatem animæ proponit, duasque affert illius definitiones, quarum prima demonstratur per secundam.

Dico primò rectè à Philosopho definiti animam: *Est actus primus substantialis corporis organici potentia vitam habentis.*

Dicitur primò actus primus substantialis, id est anima est forma substantialis; quod est genus in hac definitione: actus enim alius est primus, qui est principium operationis; alius secundus, qui est ipsa operatio: sed quia plura esse possunt principia operationis, formas, potentia & habitus, inter quæ forma ita prima est vt nullum ea prius sit principium; idè vocatur actus primus substantialis, id est forma substantialis; non autem operatio aliqua, vel temperamentum.

Probat, quia in viuentibus necesse est dari aliquam formam, quæ illa distinguantur à non viuentibus.

viventibus; sunt enim in illis plures proprietates quæ manare nō possunt nisi ab illorum formis: illa forma est anima: ergo anima est forma. Sic enim reicitur Galenus, qui solam temperiem accidentium voluit esse animā: Plato qui animam voluit corpori assistere, non autem illud informare: quod conuincitur esse falsum, quia animæ principia sunt operationum & proprietatum; & animæ brutorum, si non informarent, sed tantum assisterent materiæ, non essent materiales, quia non inhererent materiæ.

Nomen corporis.

Dicitur secundō anima actus primus corporis: vbi non satis inter Autores conuenit, quid nomine corporis significetur. Existimant videlicet non pauci, corpus hic significare materiam informatam animā, præcisè vt conferente superiorem gradum corporis, non autem gradum viuentis, idest compositum ex materia & anima, præcisè vt forma est; non autem propterea est talis forma. Verum hoc non probatur, quia vocauit animam Philosophus actum primum physicum, non autem actum primum metaphysicum: si autem nomine corporis significatur hic materia cum anima præcisè vt forma est, anima non est actus nisi metaphysicus, seu indistinctus: ergo nomine corporis non hic significatur materia simul cum anima.

Meliùs ergo volunt alij nomen corporis hic significare solam materiam primam sine vllis organis, quia organizationem satis verba sequentia significant; talis enim materiæ anima verè actus est non constitutus, sed completus; cum ea etiam facit vnum compositum. Neque obstat quod alia formæ non dicuntur esse actus corporis; non enim lapis constare dicitur ex corpore. Respondeo enim corpus propterea hic vsurpatur, conuenire rebus etiam inanimatis; quando verò dicitur corpus esse proprium rerum viuentium, significatur materia organizata.

Corporis organici.

Dicitur enim tertio actus corporis organici. Est autem corpus organicum illud quod constat ex partibus dissimilibus, seu heterogeneis, quales sunt oculi, aures, nasus, &c. Duplex autem organizatio in corpore potest intelligi; alia substantialis, alia accidentalis. Substantialis organizatio dicitur illud esse substantiale, quod vnaquæque illarum partium habet à forma substantiali. Accidentaliter consistit in variis dispositionibus accidentalibus, quæ sunt in membris diuersis; aliud enim membrum durum est, aliud molle; calidum vnum, aliud frigidum. Vtrum autem corpus quod anima informat, sit substantialiter organicum, an verò tantum accidentaliter, pender ex dicendis sectione vltima, de formis partialibus. Tantum addo plures esse formas non viuentes, quæ sint actus corporis organici; talis enim est forma embryonis, & forma cadaveris, vnde.

Potestate vitam habentis.

Dico quartò animam esse actum corporis potestate vitam habentis. Duplex autem est vita, vt nuper dixi; alia est substantialis, quæ est informatio ipsius animæ, seu anima corpori vnita; alia est accidentalis, seu ipsa operatio viuentis, quasi exercitium vitæ substantialis. Quando ergo dicitur anima esse actus corporis potestate vitam habentis, significatur solum vita accidentalis, corporis videlicet apti ad eliciendas vitales operationes, nutritionem, sensationem, &c. Hoc enim neque forma embryonis conuenit, nec cadaveri, sed soli animæ.

Neque dicas primò hinc sequi, quod anima includitur in ipsa definitione animæ; cum enim di-

citur actus corporis potestate vitam habentis, significatur actus corporis habentis potentiam ad animam. Respondeo nomine vitæ significari operationes productas immanenter à principio iam integrè constituto; hoc autem non est animam esse actum corporis habentis potentiam ad animam.

Neque dicas secundò, debere potius animam vocari actum corporis actu vitam habentis, non autem potentiam, quia nunquam anima cessat ab omni operatione.

Respondeo esse accidentale animæ quod non cesset ab omni operatione, idè illud non ponitur in definitione animæ, sed tantum quod actus corporis aptum ad eliciendas vitales operationes, quia hoc est illi essentiale.

Dico secundò, definiri etiam rectè animam, *Principium primum, quo viuimus, sentimus, loquimur, & intelligimus.*

Secunda definitio animæ.

Dicitur primò *principium primum*, scilicet intrinsecum; quia operatio vitalis est à principio intrinseco: dicitur autem *principium primum*, sicut in priori definitione dicitur actus primus.

Dicitur secundò, *quo viuimus, sentimus, &c.* vbi nomine vitæ intelligitur vegetatio. Particula verò, *Et*, non sumitur copulatiue, quia sic soli conueniret animæ rationali; sed sumitur disiunctiue, sicuti sumebatur in definitione naturæ allata 2. *Physicorum*: significatur enim quod in iis, in quibus est vita, eius principium est anima; in quibus est sensus, eius item principium est anima. Neque omnino inutiliter ponitur hic *locomotivum*, quamuis illud non constituat genus animæ distinctum à sensitiuo; voluit enim hic Aristoteles varias explicare operationes animæ, quarum vna est motus progressiuus, qui non omni conuenit sensitiuo.

Neque dicas videri omnino, quod posterior hæc animæ definitio est prorsus eadem cum prima, cum vtraque detur per ordinem ad operationes vitales.

Respondeo enim illas definitiones differre, quia in prima definitione operationes vitales ponuntur solum secundariò, vt per eas explicetur vita substantialis, quæ nobis non aliter potest innotescere: dicit enim animam esse actum corporis organici apti ad operationes vitales; idè anima ibi definitur primariò in ordine ad corpus, cui dar vitam substantialem. In secunda verò definitione non definitur anima in ordine ad corpus, sed in ordine ad solas operationes vitales.

Dico tertio, priorem illam definitionem animæ demonstrari per secundam, tum à priori, tum à posteriori. Ita fert communis & vera sententia, & probat Aristoteles cap. 2.

Vna definitio aliam demonstrat.

Primò enim, quod demonstratur à posteriori, probatur, quia tunc aliquid à posteriori probatur per aliud, quando illud est effectus illius: sed operationes vitales, quæ continentur in secunda definitione, sunt effectus vitæ substantialis, & corporis organizati: ergo demonstrari potest animam esse actum corporis organici per operationes vitales. Hoc modo, quod est principium primum quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus, est actus corporis organici: anima est principium primum quo viuimus, &c. ergo anima est actus primus corporis organici.

A posteriori.

Secundò quod demonstratur à priori, probatur: quia demonstratio propter quid, illa est in qua medium est vera causa prædicati conclusionis: sed in demonstratione quam afferebam, medium quod

A priori.

quod est secunda definitio animæ, causa est finalis prædicati conclusionis, quod est prima definitio: ergo prima definitio demonstratur à priori per secundam. Minor manifesta est, quia ratio propter quam anima exigit corpus organicum, est operatio vitalis.

Prima obiectio.

Obiicitur primò. Finis est aliquid præstantius, quam ea quæ sunt ad finem: sed operatio non est præstantior quam anima: ergo male dicitur quod operatio sit finis animæ. Imò implicat ut aliquid sit finis sui finis; anima verò est finis operationum vitalium, quæ sine dubio ordinantur ad ipsam animam: ergo finis animæ non est operatio.

Respondeo concedendo quod operatio non est finis ultimus ipsius animæ: sed est finis propter quem anima exigit corpus organicum. Vel etiam operatio est finis cuius ipsius animæ: sed anima est finis cui. Certum autem est, quod finis cuius non est semper aliquid præstantius sine cui.

Secunda obiectio.

Obiicitur secundò. Anima non ideo est talis essentia, quia habet tales operationes; sed habet tales operationes, quia est talis essentia: ergo essentia animæ quam explicat prima definitio animæ, non probatur à priori per secundam, alioqui similiter dici posset, quod omnis demonstratio à posteriori, esset demonstratio à priori.

Respondeo verum esse quod anima ideo tales habet operationes, quia est talis essentia, propterea illud ideo, causam significat efficientem; sed non ideo est talis essentia, quia tales habet operationes, propterea illud ideo, significat causam finalem; ideo enim sum homo ut operer tali modo. Quoties autem effectus aliquis est causa finalis suæ causæ, potest demonstratio per effectum esse demonstratio à priori; sed hoc non evenit semper.

SECTIO III.

Divisio animarum & animatorum in plura genera.

EXposita quidditate, ac propria definitione animæ, sequitur celeberrima divisio eius in tria genera, vegetativam, sensitivam, & rationalem, quam ut explicem, video dicenda mihi esse quatuor: primò utrum anima rectè dividatur in tria genera: secundò quot sint genera animatorum: tertio, utrum gradus animarum se invicem includant: quarto, utrum divisio illa sit uniuoca & adæquata, ita ut non sit possibile vllum aliud genus tum animarum, tum animatorum.

S. I.

Utum tria sint genera animarum.

NON erit bona divisio illa animæ in vegetativam, sensitivam & rationalem, si anima vegetativa non sit anima: quam fuisse sententiam aliquorum veterum, referunt Plutarchus lib. de placitis, cap. 26. Theodoretus lib. 1. contra Græcos, Clemens Alexand. lib. 8. Stromatum. Volebant enim ea sola vivere, quibus inesset facultas cognoscendi: id quod etiam multis video placere recentioribus.

Conclusio.

Dico primò, rectè dividi animam in tria genera, vegetativum, sensitivum, & rationalem. Ita post Aristotelem tota docet schola.

Tres modi elevationis.

Primò enim probat ex modis quibus forma vivens elevatur supra formas non viventes; tot enim sine dubio genera sunt animarum, quot sunt

A diversi modi quibus forma vivens elevatur supra formas non viventes; certum enim est, animam esse in gradu elevato supra formas non viventes: sed tripliciter forma vivens elevata est supra formas, quæ non habent vitam; primò enim forma quæpiam erit in gradu elevato supra formas non viventes, si elevata omnino sit supra omnem materiam; forma enim non vivens esse non potest immaterialis, ut probabitur *disput. 4.* hic modus elevationis proprius est animæ rationalis, quæ cognoscit objecta spiritualia. Secundò forma illa elevata est supra formas inanimatas, quæ elevata est supra materiam obiectorum in quæ fertur, id est, si magis recedat à materia, quam objecta quæ cognoscit: anima sentiens huiusmodi est, cum operetur per species minus materiales quam objecta quæ cognoscit; species enim tum impressæ, tum expressæ magis accedunt ad immaterialitatem, quam reliqua entia quæ plane sunt immersa materię. Tertio forma, quæ operatur immanentem post acquisitum statum connaturalem, est elevata supra formas non viventes, ut patet prima sectione: tres igitur sunt modi elevationis animarum supra formas non viventes, atque adeo tria genera sunt animarum.

Secundò probatur ex assignatis definitionibus animarum; duo enim exiguntur ad hoc ut aliqua forma sit anima: primò ut sit actus corporis organici: secundo ut sit principium operationum vitalium. Hoc utrumque convenit animæ rationali, sensitivæ, vegetativæ, quæ corpus exigunt variis instructum organis. Deinde operationes habent immanentes post acquisitum statum connaturalem; anima enim rationalis intelligit & amat, sensitiva sentit & appetit; vegetativa nutrit & augeret: ergo tria illa genera sunt animarum. Et sanè de anima vegetativa mirum est id à nonnullis negari; nam illa forma est vivens, quæ operatur immanentem post acquisitum statum connaturalem: anima vegetativa hoc habet dum alimentum sibi aggenerat: ergo illa est verè vivens. Videturque convinci ex Scripturis; si enim plantis convenit vivificare, occidi, & mori; certè illis convenit vita: sed hoc utrumque illis convenit. Primò ad Corinthios 15. *Tu quod plantas non vivificatur, nisi prius moriatur.* Psalmo 77. *Occidis in grandine vineas eorum.* Deinde habent plantæ omnes corpus organicum, cum inanimata omnia sint homogenea, neque habeant determinatam figuram, aut dispositionem partium, quarum aliæ attrahant alimentum, aliæ distribuunt, aliæ concoquant; quæ tamen omnia plantis inesse certum est, ut in tritici spica & vite eleganter explicat Basiliius *homilia 5. hexæmeri*, Ambrosius lib. 3. cap. 8. ac 12.

Obiicitur primò. Plantæ non vivunt si non habent operationes nisi transeuntes, & alterationes communes rebus non viventibus: sed omnes actiones animæ vegetativæ transeuntes sunt, suntque per alterationes communes rebus non viventibus, vel actiones sunt in ipsum cibum, vel una pars agit in aliam, & sunt vel per motum localem, ut sunt attractiones cibi & expulsionones, quæ videmus convenire igni sugenti oleum, expellenti fumum, vel per calorem aut humiditatem: ergo plantæ non vivunt. Imò ignis non minus operatur immanentem post acquisitum statum connaturalem, quando aggenerat sibi alium ignem.

Respondeo posse duobus modis actionem aliquam esse immanentem. Primò, quia inheret potentia, à qua proximè fit, seu in eodem organo per

per quod fit: secundò, quia est in eodem supposito, licet fiat ab vna parte per aliam: sicut animalia dicuntur se mouere per distinctas partes; vnam per se mouentem, aliam per se motam. Actio vitalis non debet necessariò esse immanens priori modo, sed est necessariò immanens secundo modo: vnde nutritio & augmentatio euni eo modo sunt immanentes, verè vitales sunt. Neque verum est illas actiones fieri per solas alterationes communes non viuientibus. Negandum enim est, quia dantur etiam potentia vitales per quas proximè causantur illæ operationes. Postremò addebatur oleum fugi ab igne in lampade; quod verum non est, quia ignis non attrahit ad se oleum per poros, sed applicatum lychno, illud simul cum lychno in ignem conuertit: ex vtroque autem excitatur flamma; idè non est ibi nutritio per intusceptionem; sicut etiam quando ignis aggenerans sibi alium ignem, producit in se vnionem: quæ nutritio est solum metaphorica, & ordinata ad generandum simile.

Obiicitur secundò. Illa diuisio non est bona, in qua membrum diuidens coincidit cum toto diuiso: ista est huiusmodi, quia totum diuisum est anima prout communis plantæ, bruto, & homini: sed hæc est anima vegetatiua: ergo totum diuisum est anima vegetatiua; quod tamen est primum membrum diuidens.

Respondeo negando quod in hac diuisione totum diuisum, & membrum diuidens idem sint. Totum enim diuisum est anima, prout dicit genericè gradum vitæ, prout abstrahit à vegetatiuo, sensitiuo, & rationali; vel etiam totum diuisum est anima vegetatiua, prout abstrahit à purè vegetatiua, & non purè vegetatiua. Primum autem membrum diuidens est anima purè vegetatiua; sicque patet quod totum diuisum differt à membro diuidente.

Obiicitur tertio. Illa diuisio vitiosa est, in qua vnum membrum includit aliud: sed anima rationalis includit animam sensitiuam, & vegetatiuam: ergo illa diuisio animæ in tria genera non est bona.

Respondeo distinguendam esse maiorem. Illa diuisio vitiosa est, in qua vnum includit aliud formaliter, concedo; includit materialiter, nego. Anima rationalis includeret formaliter alia membra diuidentia, si includeret purè vegetatiuum, & purè sensitiuum, quæ sunt duo prima genera: includit autem vtrumque materialiter tantum, quia includit vegetatiuum & sensitiuum sine negatione rationalis; quo pacto vegetatiuum & sensitiuum non sunt duæ species animæ. Sicut quinquarius includit materialiter quaternarium & ternarium, non autem formaliter: sic etiam tertia mentis operatio includit primam & secundam, & corpus materialiter includit lineam & superficiem. Quod constabit magis ex tertio paragrapho.

Obiicitur quarto, plura esse genera animatorum quàm tria: ergo plura esse animarum genera, quàm tria. Quod vt dissoluatur, videndum est.

§. II.

Vtrum quatuor sint genera animatorum.

Nomine animatorum significantur supposita quæ habent animam & operationes vitales: solent autem illa vulgò numerari quatuor; vegetatiuum, sensitiuum, locomotiuum, & rationale; quod difficile tamen est,

A Dico secundò. Si sumatur numerus animatorum ex vita substantiali, seu ex eleuatione supra res inanimatas, tria solum sunt animatorum genera; si verò sumatur ex vita solum accidentali, seu ex generalibus potentiis & actionibus, quæ inueniuntur separatæ, quatuor sunt animatorum genera.

Ratio est, quia numerus subiectorum, in quibus est anima, sumi potest vel ab ipsamet anima quæ informat, vel à potentiis vitalibus, quæ separatæ reperiuntur. Si sumatur ab ipsamet anima informante, non possunt plura esse animatorum genera quàm animarum: si verò sumatur à potentiis vitalibus separatæ, quæ sunt quatuor, illa etiam non possunt esse nisi quatuor: quedam enim sunt animata, in quibus sola reperitur potentia vegetans, vt plantæ: quedam potentiam habent vegetatiuam simul & sensitiuam, non autem locomotiuiam, qualia sunt conchylia petris affixa; illa enim augentur & sentiunt, non mouentur autem motu progressiuo, licet moueantur motu aliquo dilatationis, aut compressionis. Tertio alia quedam sunt, quibus inest potentia vegetans, sentiens, & locomotiua, non autem intellectiua. Denique præter tres enumeratas quedam habent potentiam intellectiuiam. Ergo si sumatur numerus animatorum à generalibus illis potentiis, quatuor genera sunt animatorum.

C Obiicitur primò. Si locomotiuum constituit genus aliquod speciale animatorum distinctum à sensitiuo, ex eo quod reperiatur aliquod sensitiuum, quod non est locomotiuum, plura distinguuntur animatorum genera quàm quatuor; sunt enim aliqua viuientia, quæ carent potentiâ generatiuâ, vt muli; quedam potentiâ visiuâ, vt talpæ; quedam potentiâ memoratiuâ, vt mulcæ; quedam non habent nisi potentiam tactiuiam, quæ appellantur plantanimalia: ergo illa erunt genera diuersa animatorum.

Respondeo genera diuersa animatorum non sumi à quibuscumque potentiis, quæ inueniuntur separatæ in diuersis subiectis; sed à potentiis tantum generalibus, quæ sub aliis non contineantur. Potentia verò generatiua continetur sub vegetatiua; visiuâ sub sensitiua; potentia verò locomotiua sub nulla continetur alia; non enim dici potest quod illa contineatur sub sensitiua, etiamsi tria sint genera animarum. Quia sensitiuum sumi potest dupliciter. Primò pro cognoscitio materiali; & ita sumitur quando quatuor dicuntur esse genera viuientium, neque continet locomotiuum: secundò sumi potest pro eo quod operatur per formas immaterialiores obiectis; & sic continet locomotiuum.

Obiicitur secundò. Vita substantialis non innotescit nobis nisi per vitam accidentalem: sed ex vita accidentali quatuor constituuntur genera animatorum: ergo totidem etiam constitui debent ex vita accidentali.

E Respondeo vitam substantialem non innotescere per solam vitam accidentalem, quæ reperitur in diuersis subiectis; sed per vitam accidentalem, quæ oritur ex diuersa eleuatione viuientium supra non viuientia. Ex vita accidentali eo posteriori modo sumpta tria tantum sunt genera viuientium; sed illa sunt quatuor ex vita accidentali sumpta priori modo.

§. III.

Secunda obiectio.

Tertia obiectio.

§. III.

An & quomodo permixti sint tres gradus animarum.

Vegetatium, sensitium & rationale, quatenus diuersos gradus constituunt animarum, sunt impermixta, vt dixi, nec se vlllo modo includunt; quia vt sic membra sunt datæ diuisionis. Si autem sumantur materialiter & entitatiuè, fortasse permixta sunt, & se mutuo continent, quod modò quaeritur; vtrum videlicet naturaliter illi separari possint, vtrum differant inuicem, & quomodo se continent.

Dico tertio, gradum quidem inferiorem animæ non necessariò includere gradum superiorem: v. g. vegetatium, separatim est à sensitio in plantis, & in brutis sensitium est sine rationali. Sed naturaliter tamen perfectior gradus animæ necessariò includit gradum inferiorem: nullum v. g. est sensitium, quod non sit vegetatium; nullum rationale, quod non sit vegetatium, & sensitium. Dixi naturaliter, quia diuinitus quid possit fieri, dicitur §. sequenti.

Ratio ergo est, quia primò non datur anima rationalis, quæ non sit actus corporis sentientis; si enim anima forma est corporis, debet eius operatio pendere à corpore, & ab illo derivari: sed operatio intellectiua non potest accipi à corpore nisi per sensum: ergo nulla est anima rationalis, quæ non sit etiam sensitua: secundò sensitium nullum potest reperiri nisi adsint plures in corpore partes heterogeneæ, quæ se inuicem destruunt: ergo vt viuens cum illis organis aliquandiu possit viuere, opus illi est nutritione, qua reparatur id quod deperditur: ergo sensitium semper præsupponit vegetatium.

A priori autem ratio est, quia gradus vegetatiuus comparatur ad sensitium, & sensitius ad rationalem, tanquam genus ad differentiam: sed differentia nunquam est sine genere quod contrahit: ergo sensitium nunquam est sine vegetatiuo.

Dico quartò gradum imperfectiorem sumptum genericè, contineri formaliter in gradu perfectiore; sumptum autem specificè, contineri eminenter. Id est anima sensitua continet formaliter animam vegetatiuam sumptam in genere, provt scilicet abstrahit ab omni differentia plantæ. Anima rationalis continet formaliter animam vegetatiuam & sensitiuam, & est formaliter vegetatiua & sensitua. Si autem gradus ignobilior specificè sumatur cum aliqua differentia contrahente, si sumatur v. g. vegetatium pro hac planta vel arbore, tunc non includitur formaliter in sensitio & rationali, sed solum eminenter. Duas partes habet assertio.

Gradus superior sumptus genericè.

Prima assertio gradum ignobiliorem genericè sumptum contineri formaliter in gradu nobiliore. Ratio est, quia animam vegetatiuam & sensitiuam contineri formaliter in anima rationali, nihil aliud est quàm de anima rationali æquè posse affirmari quod sit vegetans æquè benè ac planta; quod sit sentiens æquè benè ac brutum: sed verum est hoc posse affirmari æquè benè: ergo anima rationalis formaliter est vegetatiua & sensitua, & ita de cæteris. Minor probatur, quia propterea de planta affirmatur quod sit vegetans, quia potest exercere actiones vite vegetatiuæ, nutritionem, & accretionem; & de bruto affirmatur quod sit sentiens, quia potest exercere actiones sensitivas, videre, audire, &c. sed anima rationalis

alis exercet operationes sensitivas & vegetativas: ergo anima rationalis æquè benè vegetatiua est ac planta, æquè sensitua est ac brutum.

Secunda pars docet gradum ignobiliorem specificè sumptum contineri eminenter. Ratio est, quia vt vnum contineat aliud eminenter, non requiritur vt possit facere totum quod facit aliud; nec vt nobiliori modo perfectiones eius contineat: sed satis est quod habeat essentiam longè perfectiorem; sic enim aurum dicitur eminenter continere alia metalla. Anima verò rationalis perfectior est animabus quarumlibet plantarum & brutorum, & anima bruti perfectior est plantis: quolibet ergo anima rationalis eminenter continet alias.

B Obicitur. Differentiæ inferiores nullo modo continent differentiæ vniuersaliores, sed ab illis abstrahunt, vt dictum est in Logica: sed vegetatium est differentia vniuersalior respectu sensitui; & sensitium est differentia vniuersalior rationali: ergo rationale non continet sensitium, & sensitium non continet rationale.

Respondeo differentias istas superiores & inferiores posse sumi vel adæquatè ac physice secundum omnia quæ important realiter; vel inadæquatè ac metaphysice, provt dicunt gradum illum præcisum ab omnibus aliis gradibus: verbi gr. rationale sumi potest præcisè secundum gradum potentiæ discursiuæ. Differentiæ superiores & vniuersaliores includuntur in differentiis inferioribus sumptis physice ac adæquatè; non includuntur in illis inadæquatè sumptis, & metaphysice.

§. IV.

Vtrum diuisio animarum vniuoca sit, & adæquata.

Vniuoca erit diuisio assignata tum animarum, tum animatorum, si æquè primò, & eodem modo conueniat definitio animæ omnibus speciebus: erit autem adæquata, si non sit possibile vllum aliud genus, tum animarum, tum animatorum.

D Dico quintò, diuisionem animarum in vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem esse verè vniuocam; quod idem verum est de diuisione animatorum.

Ratio est, quia vt diuisio animæ sit vniuoca, duo exiguntur: primò vt ratio & definitio animæ propria conueniat eodem modo singulis animabus, ita vt ab omnibus possit abstrahi: secundò vt æquè primò omnibus conueniat, ita vt vni non conueniat dependenter ab altera. Sed animæ definitio assignata eodem modo conuenit animæ vegetatiuæ, sensitiuæ, & rationali, potestque ab omnibus illis abstrahi, neque conuenit vni dependenter ab alia: ergo illa diuisio est vniuoca. **E** Deinde animal est genus respectu bruti & hominis, & de vtroque dicitur vniuocè, similiterque: viuens genus est respectu plantæ ac animalis: ergo anima dicitur vniuocè de vegetatiua, sensitua & rationali.

Dico sextò, diuisionem animarum in genera tria, quæ assignabam, ita esse adæquatam, vt ne diuinitus quidem videatur esse possibile vllum aliud genus animarum: diuisionem autem in quatuor genera animatorum non sic videri adæquatam, vt non sit possibile aliquod aliud genus animatorum per diuinam potentiam.

Probatur.

Quæst. II. Sect. IV. Quot animæ in viuento. 409

Probat, quia si non possint dari plures eleuationes viuientium supra res animatas, quàm tres illæ assignatæ, non sunt possibiles plures gradus animarum quàm tres assignati, sed non sunt possibiles plures eleuationes quàm tres; quia quidquid agit in seipso, vel agit per qualitates omnino immateriales, vel per qualitates materiales quidem, sed minùs tamen materiales quàm obiecta: ergo non sunt possibiles nisi tres gradus animarum.

Sed alia tamen ratio est animatorum, quia videtur omnino esse possibile diuinitus aliquod sensitiuum, quod non sit vegetatiuum; potest enim dari corpus partes habens heterogeneas, quod tamen sit incorruptibile, quia dispositiones habebunt diuersas; sed non ita tamen oppositas, vt vna destruat aliam. Mihi probabile videtur, esse impossibile viuens locomotiuum, quod non sit cognoscitiuum; non enim posset esse vlla ratio, quare in vnam potius partem moueretur quàm in aliam; quia sine cognitione non posset seipsum determinare. Motus autem animalis progressiuus dicit præuium appetitum & cognitionem. Dixi esse probabile, quia si dicatur esse possibile viuens locomotiuum determinatum ad motum circularem v. g. vix conuinci poterit falsitatis. Sed certum tamen est esse impossibile animam rationalem, quæ non sit sensitiua, quia debet anima rationalis esse forma corporis prout est rationalis: sed si non sit sensitiua, non erit forma corporis prout est rationalis, quia eius intellectus erit independens à corpore: ergo anima rationalis est necessariò sensitiua.

Denique quod sit impossibile viuens cognoscitiuum, quod non sit appetitiuum; & contra viuens appetitiuum, quod non sit cognoscitiuum, constabit ex dicendis de sensu & appetitu.

Obiicitur primò, diuisionem hanc non videri vniuocam, generis nimirum in species; quia illæ non sunt species sub communi genere, quæ comparantur sicut superius & inferius: sed vegetatiuum, sensitiuum & rationale comparantur in linea prædicamentali vt superius & inferius; dicitur enim corpus, viuens, animal, homo: ergo illa diuisio non est vniuoca.

Respondeo vegetatiuum & sensitiuum posse sumi vel pro purè vegetatiuo, quod videlicet negat sensitiuum & rationale, & pro purè sensitiuo, quod negat rationale; vel pro vegetatiuo, quod non negat, sed abstrahit à sensitiuo & rationali, & pro sensitiuo quod abstrahit à rationali. Si vegetatiuum, & sensitiuum sumantur posteriori hoc modo, non sunt species sub communi genere, sed comparantur sicut superius & inferius; si autem sumantur priori modo, non comparantur vt superius & inferius, sed sunt species sub communi genere; nec contrahuntur per differentias subordinatas, sed per oppositas.

Obiicitur secundò. Viuens, animal & homo, quæ sunt concreta vegetatiui, sensitiui & rationalis, non comparantur vt species eiusdem generis: ergo vegetans, sensitiuum & rationale non sunt species eiusdem generis.

Respondeo distinguendo consequentiam eodem modo: ergo vegetatiuum, sensitiuum & rationale, si sumantur prout vnum negat aliud, non sunt species sub communi genere, negatur; si sumantur prout vnum abstrahit ab alio, non sunt species eiusdem generis, concedo. Viuens, animal & homo dicunt vegetatiuum, sensitiuum & rationale, non prout se inuicem negant, sed prout abstrahunt.

R. P. de Rhodas curs. Philosoph.

SECTIO IV.

Numerus animarum in quo libet viuento.

PERspecto generatim numero animarum, sequitur vt dicatur de numero animarum in quolibet viuento; vtum videlicet in quolibet homine tres sint animæ, vegetatiua, sensitiua, & rationalis; in brutis duplex. Secundò ex suppositione quod in quolibet vnica sit forma viuens, vtum plures sint in eo forme non viuentes, quas vulgò appellant formas partiales.

§. I.

Vtrum in eodem viuento plures sint animæ.

POssunt esse in eodem homine plures animæ, vel simul, vel successiue. Plures simul erunt, si eadem materia humani corporis informetur anima vna vegetante, altera sentiente, tertia rationali; quæ fuisse dicitur sententia Platonis in *Timæo*, vt refert Aristoteles lib. 1. cap. vii. ponebat videlicet animam hominis vnam in cerebro, tanquam in arce, quæ intelligat; alteram in corde, irascibilem; tertiam in iecore, concupiscibilem, quæ nutriat: vbi descriptus habetur triplex Rerumpublicarum status. Consularis in rationali; militaris & contentiosus in irascibili; quæstuosus & auarus in vegetatiuo. Verùm excusatur à discipulis suis Plato, qui voluit eum loquentum esse de viribus animarum, non autem de animabus. Manichæi duas in homine ponebant animas, vnam à malo Deo, alteram à bono, vt refert Augustinus lib. de duabus animabus, & lib. 10. de Genesi ad litteram. Tres quoque animas in homine constituit Zabarella lib. de facultatibus anime, cap. 8. Paulus Venetus Okam, & Mirandulanus duas esse volunt; vnam corruptibilem, alteram immortalem: quæ fuit etiam sententia Philonis lib. Quod deterius potentiori insidetur.

Erunt plures successiue, si embryo, quando in vtero matris formatur, primò accipiat animam plantæ, deinde bruti, postremò hominis; sic enim plures sensere Medici, placuitque Sancto Thomæ 1. part. quæstion. 77. artic. 3. ad tertium, & lib. 2. contra Gentes, cap. 82. sequuntur Dandinus, Conimbricenses, & alij non pauci.

Dicendum tamen primò est, neque simul, neque successiue plures esse in eodem viuento animas. Ita tenet cum Aristotele communior sensus scholæ.

Primò enim nulla est necessitas ponendi simul in eodem homine plures animas, si eadem anima quæ intellectiua est, sit etiam principium sentiendi, & vegetandi: sed eadem anima quæ est intellectiua, est etiam principium vegetandi & sentiendi; nam illæ operationes non repugnant eidem principio; & si anima rationalis non esset sensitiua, non esset forma corporis. Imò in morte Christi Verbum non dimisit vllam formam; dimisisset autem, quia duæ illæ animæ, vegetatiua & sensitiua, fuissent corruptæ, ac propterea dimissa à Verbo.

Secundò, quod neque successiue sint plures animæ, probatur, quia si fœtus in vtero matris haberet prius animam plantæ, deinde animam bruti, sequeretur hominem generare brassicam

M m aut

Non respectu animarum.

Prima obiectio.

Secunda obiectio.

aut vitulum; nullus enim vnquam gradus genericus est sine specifico. Deinde si propterea solam animam habet vegetantem & sensitivam, quia non habet operationes intellectivas, certe nono & decimo mense non haberet etiam animam rationalem, quia nullas etiam tunc operationes habet rationales magis quam primo mense.

Prima obiectio. Obiicitur primò. Ex diuersis operationibus & dispositionibus colligitur formarum diuersitas: sed in homine diuersæ sunt dispositiones & operationes: ergo sunt etiam diuersæ formæ.

Respondeo distinguendo maiorem, quia ex diuersis operationibus quæ sunt in diuersis subiectis, colligitur diuersitas formarum: sed ex diuersis operationibus quæ sunt in eodem subiecto, non inferitur formarum diuersitas nisi fortasse virtualis.

Secunda obiectio. Obiicitur secundò. Vbi sunt operationes contrariæ, ibi non est vna forma: in homine sunt operationes contrariæ, nam caro concupiscit aduersus spiritum: ergo non est in homine anima tantum vna.

Respondeo negando maiorem, quia possunt etiam ab eadem potentia prodire actus contrarij, vt patet in voluntate, quæ amat & odit.

Tertia obiectio. Obiicitur tertio. Corruptibile & incorruptibile, diuisibile & indiuisibile differunt realiter: anima rationalis incorruptibilis est & indiuisibilis; anima sensitiva corruptibilis est & diuisibilis: ergo anima rationalis & sensitiva non sunt vna, sed plures animæ.

Respondeo distinguendo minorem: anima sensitiva tantum est corruptibilis & diuisibilis, concedo; anima sensitiva, quæ rationalis est, corruptibilis est & diuisibilis, negò.

§. II.

*Utrum in viuente quolibet præter animam
dentur formæ quædam partiales
inanimatæ.*

Formæ partiales. Posito quod in quolibet viuente anima non sit nisi vnica, maior difficultas est de formis alijs quibus non viuentibus, quas contendunt plures Philosophi esse simul cum anima in composito quolibet animato. Formas autem illi appellant alias completas, alias partiales. Complete formæ sunt iuxta illos, quæ constituunt indiuiduum aliquod completum, neque ordinantur ad aliam formam: tales sunt animæ omnes, & formæ metallorum. Formas incompletas & partiales eas vocant quæ licet constituant indiuiduum aliquod speciei infimæ, tamen illud non est perfectum, sed est veluti materia quædam disposita, & proxime idonea ad recipiendam aliam formam completam: idè huiusmodi formæ sunt quædam veluti dispositiones ad formam aliquam vltiorem.

Status questionis. Difficultas ergo est, vtrum in viuente quolibet præter animam tot sint formæ substantiales, quot sunt diuersæ partes: in carne v. g. præter animam forma carnis, in ossè forma ossis; sic enim cum Scoto docent Aresius, Lessius, Conink, & nunc recentiores communius.

Conclusio negans. Dico secundò, probabilius omnino esse, quod in viuentibus nulle sunt formæ partiales, sed anima sola singulas partes informat. Ita docent cum S. Thoma omnes Thomistæ, Suarez, Vasquez, Hurtadus.

Superfluitas. Ratio autem prima sit, quia illæ omnes formæ nec sunt vilo modo necessariae in viuentibus, si

anima sola per seipsam possit esse radix totius varietatis dispositionum accidentalium, & eas per seipsam exigere: sed anima sola potest esse radix & exigere totam illam varietatem dispositionum accidentalium, quæ sunt in corpore organico, quod probò. Quia potest anima per seipsam immediate exigere totam varietatem formarum substantialium, & esse illarum radix: ergo potest etiam anima esse radix, & exigere varietatem dispositionum accidentalium: ergo frustra requiruntur in viuentibus formæ vllæ partiales præter animam.

B Secunda ratio sit impossibilitas huiusmodi formarum. Primò enim implicat dari substantiam cuius quæ non sit radix prima proprietatum, quia conceptus substantiæ proprius situs non est tantum in eo, quod ab ea pullulent aliquæ proprietates, cum à multis accidentibus alia pullulent accidentia: v. g. ex primis qualitativis oriuntur secundæ qualitates. Primarius ergo conceptus substantiæ situs est in eo quod sit prima radix proprietatum: sed formæ istæ partiales non sunt prima radix proprietatum; illud enim quod est prima radix proprietatum, est finis ad quem referuntur, & propter quem exiguntur proprietates: finis autem ad quem referuntur istæ formæ, anima est, ad quam etiam referuntur omnes proprietates: ergo implicat vt illæ formæ sint substantiæ. Secundo implicat vt anima non sit vera substantia, sed si dantur formæ partiales, anima non est vera substantia. Quod probò. Illud quod aduenit corpori iam plenè constituto in esse corporis, accidens est, non substantia: sed anima aduenit corpori plenè iam constituto in esse corporis: ergo anima non est substantia. Probatur minor. Ossa, nerui, caro ante aduentum animæ sunt corpora aequè completa, ac ignis & aqua; si enim non sunt completa, non possunt existere in rerum natura, sicut materia, quia est incompleta, non potest existere sine vllis formis. Sed anima superuenit ossi, neruo, carni: ergo anima superuenit enti completo.

D Tertiò implicat vt homo sit bis corpus: sed homo esset bis corpus, si haberet formas partiales; nam caro absente anima est verè corpus, quis enim neget, carnem quæ assatur & comeditur, esse corpus? Sed anima iterum dat esse corpus; nam esse corpus substantiale non aliud est quam esse compositum ex materia & forma, & formæ quoque partiales iterum faciunt corpus; faciunt enim compositum ex materia & forma: ergo homo est bis corpus. Neque dicas formas partiales facere corpus incompletum; nam ossa mortuorum tam sunt corpora completa quam lapides & elementa.

E Obiicitur primò. Vbi est formaliter os & caro, ibi necessariò esse debet forma, quæ non virtualiter tantum, sed formaliter contineat formam ossis & carnis: sed anima virtualiter tantum, non autem formaliter continet formam ossis & carnis: ergo vt in homine sit formaliter os & caro, requiritur aliqua forma præter animam. Probatur minor, quia si anima contineret formaliter formam ossis & carnis, anima illa quæ est in ossè, exigeret dispositiones ossis; & anima quæ est in carne, exigeret dispositiones carnis; forma enim carnis in subiecto in quo est, exigit dispositiones carnis: sed anima in ossè non exigit dispositiones carnis: ergo anima non formaliter continet formam ossis, eodem scilicet modo;

Quæst. I. Sect. IV. Quot animæ in viuento. 411

modo, quo forma mixti continet formas elementorum, quas non continet nisi virtualiter. Imò si anima est formaliter forma carnis, & nerui; non poterit determinari ad producendas in vna parte potius dispositiones carnis, quam nerui.

Respondeo animam esse formaliter formam ossis & carnis & nerui, sicut est, vt dixi, formaliter sensitua & vegetatiua. Ad probationem distinguitur maior: si anima contineret formaliter formam carnis & ossis, sequeretur animam quæ est in carne, exigere dispositiones ossis in aliqua parte totius viuentis, concedo; in ipsa carne, nego: nam anima exigit corpus organicum, atque adeò dispositiones diuersas in toto viuento; sed non in iisdem illius partibus. Forma ergo carnis non exigit dispositiones carnis in singulis partibus subiecti in quo est, sed tantum in aliqua eius parte: non est autem eadem ratio animæ & formæ mixti; mixtum enim non est formaliter aqua & ignis, sicut viuens est formaliter caro & neruus; ideoque forma mixti non continet nisi virtualiter formas elementorum; anima verò est formaliter forma ossis & carnis. Denique anima determinatur ad producendas dispositiones carnis in vna potius parte, quam in alia, per virtutem formatricem seminis, quæ saltem inchoatiue disponit partes accommodatè ad animam.

Secunda obiectio.

Obiicitur secundò, esse impossibile vt ab eadem forma emanent duo motus connaturales inter se contrarij: sed in eodem animali plures sunt motus contrarij connaturales; motus enim deorsum est illi connaturalis, prout est mixtum: & est illi præternaturalis, prout est animal. Motus autem progressiuus est illi naturalis vt animal est; præternaturalis eidem vt mixtum est: ergo in animali non est vnica tantum forma, præsertim cum motus animalis deorsum sit ab elemento prædominante, non autem ab anima. Denique aucta materia in homine augetur grauitas, neque tamen augetur anima rationalis: ergo augentur formæ partiales. Imò si grauitas esset ab anima, sequeretur quod quando viuens cadit è turri, anima se interimeret.

Respondeo plures in eadem anima esse gradus: vnum secundum quem dicitur forma mixti in quo terra prædominatur; alterum secundum quem est forma viuentis sensitiui, quod mouet seipsum motu progressiuo. Non possunt duo motus contrarij esse connaturales eidem formæ secundum eundem gradum, sed possunt esse connaturales secundum diuersos gradus. Cum ergo anima sit forma mixti, in quo terra prædominatur, & forma viuentis locomotiui, non est mirum quod motus deorsum, & motus progressiuus sint connaturales eidem viuenti. Similiter etiam motus deorsum prouenit ab elemento prædominante, prout illud est virtualiter in viuento, non prout est formaliter. Denique verum est, augeri grauitatem addita materia, quia grauitas emanat ab anima medio temperamento, quod cum augeatur addita materia, propterea necesse est augeri grauitatem. Neque inconueniens est quod aliquis seipsum interimat per accidens.

Tertia obiectio.

Obiicitur tertio. Antequam corpus embryonis informetur animâ, sunt in embryone diuersæ formæ partiales; si enim vnica esset forma, illa informaret corpus organicum, & esset anima: sed illæ formæ non corrumpuntur

R. P. de Rhodes curs. Philo/soph.

A adueniente anima: ergo in viuento simul cum anima formæ sunt partiales. Probatur minor, quia dispositiones ad animam non corrumpuntur adueniente anima: istæ formæ, quæ sunt in embryone, sunt dispositiones ad animam: ergo non corrumpuntur adueniente anima. Neque potest assignari vlla causa, quæ illas corrumpat; & si anima illas corrumpat, debet id facere per contrarias dispositiones; in corpore autem animato non sunt vllæ dispositiones contrariæ formæ carnis, & formæ ossis.

B Respondeo esse in embryone antequam informetur animal, plures formas, quæ tamen expelluntur omnes adueniente anima. Causa effectiua illius corruptionis est illa ipsa forma, per quam anima introducit: dispositiones verò quibus expelluntur, sunt illæ, quas anima exigit, vt sit in corpore; quæ dispositiones quandiu imperfectæ sunt, pertinent ad illas formas; quando autem perfectæ sunt, pertinent ad animam. Neque sunt eadem omnino accidentia in embryone, quæ sunt in viuento, sed valde similia. Quod additur, non perire dispositiones ad animam adueniente anima, verum est de accidentalibus, falsum de substantialibus, quæ sunt incompossibiles cum anima.

C Obiicitur quartò, quando homo moritur, nulla introducit de nouo forma substantialis, & tamen expellitur anima: ergo prius erant cum anima formæ aliquæ substantiales. Probatur antecedens, quia si moriente homine aliqua produceretur forma, deberet assignari aliqua eius causa, quoties homo strangulatur, aut capite truncatur. Imò causæ contrariæ contrarios producent effectus: sed siue homo calore moriatur, siue moriatur frigore, eadem manet forma in cadauere: ergo non producit in cadauere noua forma. Et sanè caro viua & caro mortua sunt vniuocè caro; habent ergo eandem formam.

Quarta obiectio.

D Respondeo introduci formam cadaueris in materiam à qua per mortem separatur anima; causa verò illius productiua, est illa ipsa causa quæ perimit proximè animal: nam eo ipso, quod perimitur animal, abeunt dispositiones illius propriæ, succeduntque aliæ in gradu accommodatò ad formam cadaueris, quam forma ipsa cadaueris immediatè producit; nam siue iuguletur homo, siue stranguletur, maxima semper fieri debet alteratio in toto eius temperamento antequam moriatur; vnde manet semper temperamentum idoneum ad eductionem formæ cadaueris: idem autem sequitur effectus, siue homo calore moriatur, siue frigore; sicut idem omnino sit acetum, ex quacunque causa vinum corrumpatur: nec est semper verum, quod à causis contrariis contrarij prodeant effectus. Caro mortua, & caro viua sunt vniuocè caro quoad accidentia, quæ habent valde similia, non autem quoad substantialia. Cum autem non sit vlla forma præter animam, quæ corpus exigit organicum, dicendum est quod forma cadaueris non est vnica, sed multiplex; vna videlicet in osse, altera in carne, & sic de cæteris.

E Instabis. Si forma cadaueris succedit animæ, sequitur quod in triduo mortis Christi forma cadaueris coniuncta est sanctissimo eius corpori, atque adeò illud corpus in Christi resurrectione corruptum esse. Deinde Verbum diuinum debuit assumere formam illam cadaueris, quia in illo supposito nulla erat substantia creata; debuit autem

Instantia.

M m 2 forma

forma illa esse subsistens, sicque Verbum assump-
sit aliquid, quod postea dimisit. Denique licuisset
tunc dicere, *Cadaver nos redemit: Cadaver natum
est de Virgine.*

Respondeo verum omnino esse, quod forma
cadaveris successit animæ Christi, & unita fuit
sanctissimo eius corpori. Neque sequitur primò,
quod Christi corpus fuerit corruptum, sicut in-
telligi solet nomen corruptionis, quo significatur
communiter tabescere aliquod corpus, & conuerti
vel in vermes, vel in putredinem, quo modo san-
ctum Dei non vidit ullam corruptionem. Si cor-
ruptio significaret formam cadaveris, quæ succe-
sserat animæ, rursus per resurrectionem ab anima
ipsa expulsa esse, certè verum esset cadaver
Christi corruptum esse huiusmodi corruptione
perfectiua, dum amisit formam cadavericam, ut
viventem recuperaret. Neque verum est, quod illa
forma debuerit assumi à Verbo; si enim formæ
materiales habent propriam subsistentiam, sic &
ista forma propriam habuit subsistentiam; vel si
eam non habent, ista etiam caruit omni subsisten-
tiâ, eo modo quo Verbum non assumpsit acciden-
tia, quæ non subsistunt.

Modus ille loquendi, *Cadaver nos redemit, ca-
daver natum est de Virgine*; non debet vlla ratione
admitti, quia non licet applicare Verbo pro omni
tempore denominationes omnes quas aliquo tan-
tū tempore habuit; nisi fortè sensus illius pro-
positionis esset, Verbum quod fuit cadaver nos
redemit, vel etiam natum est de Virgine. Falsum
tamen semper est, *Cadaver nos redemit*: cum enim
cadaver dicat negationem animæ rationalis, &
formam cadaveris, quæ duæ non erant quando
redempti sumus, & quando natus est Christus,
non potest esse verum, quod cadaver nos redeme-
rit, vel quod natum sit de virgine. Quod argu-
mentum magis premit adversarios, quia formæ
partiales, quæ fuerunt in cadauere Christi, fuis-
sent in eius corpore viuo.

QVÆSTIO II.

De generalibus quibusdam animæ proprietatibus.

QVæ hæcenus dixi, pertinent ad explican-
dam generalem animæ quidditatem; nunc
sequuntur proprietates eius, quarum aliæ actiue
sunt & vitales, & soli conveniunt animæ; aliæ
neque actiue sunt, nec vitales, possentque simi-
liter convenire formis inanimatis. Prima sit diui-
sibilitas: secunda heterogeneitas: tertia inæ-
qualitas.

SECTIO I.

Verum omnes animæ sint indivisibiles.

AD plenam difficultatis resolutionem præ-
mittendum est, utrum omne spirituale sit ne-
cessariò indivisibile, & omne corporeum, diuisi-
bile; tum statuetur, utrum anima rationalis sit in-
divisibilis; postremò utrum animæ brutorum sint
divisibiles.

S. I.

Verum omne spirituale sit necessariò indivisibile.

ENS immateriale aliud est substantiale, ut An-
gelus, & anima; aliud accidentale, ut mo-
tus localis Angeli, extensio eius ad locum, &
cætera huiusmodi. De utrisque celeberrima diffi-
cultas est, utrum constare possint ex diversis par-
tibus integralibus, an verò sint necessariò indivi-
sibilia; quod video latè disputari à Suare *disp. 51.
Metaph. num. 36. & disput. 30. num. 49. sect. 4. de An-
gelis, cap. 14. Valsq. 1. part. disp. 195. cap. 6. Hurtado
disp. 2. de anima, sect. 4.*

Dico primò, dari plura entia spiritualia di-
visibilia in partes, præsertim accidentalia;
sed videri tamen probabilius, quod non est
possibilis substantia vlla spiritualis, quæ non
sit indivisibilis, quamvis id difficile demonstra-
ri possit.

Primam partem multi negant cum Valsque, re-
bitrati, quod hoc vno differunt ens materiale, ma-
& spirituale, quod vnum sit divisibile in par-
tes, alterum verò indivisibile. Sed hoc merito
ab aliis reprobatur: primò, quia motus localis
Angeli est divisibilis; nam ens successivum est
necessariò divisibile, alioqui non est successi-
vum; nam esse successivum, est habere par-
tes sibi succedentes: motus angelicus est ne-
cessariò successivus: ergo est partibilis. Imò
si latio angelica non esset divisibilis, esset
duntaxat congreries rationum sibi succedentium,
sicque vnus Angelus non posset velocius moveri
quàm alter.

Secundò extensio quoque Angeli ad locum
non potest esse indivisibilis, ut alias demon-
strabam, alioqui quoties Angelus maiorem oc-
cupat locum, deberet singulis instantibus mu-
tare totam extensionem, quod non est neces-
se; quia anima rationalis quoties coextendit-
ur maiori corpori, & occupat novum locum,
non mutat totam extensionem priorem, ut sta-
tim probabitur.

Tertiò enim vnio animæ rationalis cum cor-
pore, quæ fortè non differt ab eius extensione,
non est impartibilis, quia illa talis est, ut pars
eius vna possit amitti alterâ integrâ permanen-
te; nam quando abscinditur manus, certum
est aliquid amitti vnionis, quia non potest fieri
ut anima quæ informabat materiam, desinat il-
lam informare, quin alicubi fiat aliqua mutatio:
cū autem illa non fiat in anima, sit in eius
vnione. Sed neque amittitur tota vnio, & al-
tera succedit, quia sequeretur mori tunc totum
hominem; dissolveretur enim tota eius vnio.
Idem dico de nutritione, quia deberet tota vnio
singulis instantibus destrui; & homo dum nu-
tritur, millies moreretur: sed neque posset nu-
tritio fieri continuè, quia illæ vniones indivi-
sibiles fierent in instantibus.

Deinde si non esset divisibilis vnio animæ
rationalis cum corpore, sequeretur quod pe-
des essent in capite: quod probò. Vbi est vnio,
ibi sunt extrema vnibilia; cum enim illa sit
nexus essentialis extremorum, non potest esse
sine extremis: sed vnio animæ & pedum est in
capite, si vnio est indivisibilis: ergo pedes sunt
in capite.

Secunda

Quæst. II. Sect. I. Indivisibilitas animæ. 413

Substantia
spiritualis
indivisibi-
lis.

Prima pro-
batio.

Secunda pars de substantiis spiritualibus, quas negavi esse posse divisibiles, communissima est inter omnes, sed difficillimè tamen probatur; neque hæcenus aliquid allatum est quod eam efficaciter probaret.

Primo enim probari video, quia omnis substantia spiritualis est intellectiva, ut ostenditur *diff. 4.* sed nulla substantia intellectiva est divisibilis: ergo nulla substantia spiritualis est divisibilis. Probat minor. Illa potentia est indivisibilis, quæ cognoscit obiectum indivisibile, sicut rectè concluditur; Illa potentia est spiritualis, quæ cognoscit obiectum spirituale; non enim afferri potest disparitas: sed omnis potentia intellectiva cognoscit indivisibile, cum cognoscat Deum, Angelos, & animam rationalem: ergo quælibet potentia intellectiva est indivisibilis.

Hoc argumentum habet instantiam, cui non facile respondetur: anima finita, incompleta, & potentialis cognoscit rem infinitam, completam, & actum purum ac simplicissimum: ergo potentia divisibilis cognoscere potest obiectum indivisibile. Quomodo autem spiritualitas animæ probeatur ex cognitione rei spiritualis, dicitur *diff. 4.*

Secunda
probatio.

Secundò probant alij, quia si substantia intellectiva constaret ex partibus, vel singulae partes essent intellectivæ per seipsas independentes ab aliis partibus, vel una intelligeret dependentes à reliquis omnibus. Si singulae partes intelligunt sufficienter sine vllis aliis partibus: ergo inutilis erit pluralitas partium; ad quid enim plures partes, ubi una totum potest, quod alia omnes faciunt? Si nulla pars intelligit nisi dependenter ab aliis omnibus partibus, sequitur partes non intellectivas componere totum aliquid intellectivum, & partes intellectivæ non representativas componere vnum totum representativum, quod æque repugnat ac totum extensum componi ex partibus inextensis.

Hoc etiam argumentum nihil probat; nam forma substantialis intellectiva posset habere plures partes intellectivas, quæ singulae possent intelligere independentes ab aliis, modò adessent dispositiones; neque tamen pluralitas illa partium esset frustra, quia possent alia partes esse utiles ad alias functiones corporeas; sicut quamvis anima in pede necessaria non sit ad intelligendum, necessaria tamen est ad ambulandum, & in manu necessaria est ad tangendum.

Tertia pro-
batio.

Tertiò igitur probabilius tantum id suaderetur, quia certum est, quod anima rationalis, & Angelus sunt indivisibiles; nullum autem argumentum probare potest indivisibilitatem Angeli & animæ, quod non probet esse impossibile substantiam spirituales, quæ sit indivisibilis. Sed hoc, ut vides, non est nisi probabile; unde dixi hanc impossibilitatem substantiæ indivisibilis vix probari; nam quod alij probant indivisibilitatem cuiuslibet substantiæ spiritualis, ex eo quod immortalis sit, certè nihil faciunt, quia materia prima est incorruptibilis, & tamen habet partes integrantes. Quomodo autem immortalitas animæ rationalis supposita fide probet eius indivisibilitatem, statim dicitur.

Prima ob-
iectio.

Obiicitur primò. Non potest assignari aliud vllum discrimen rei materialis & immaterialis, nisi quod illa partes habeat quibus ista caret. Probatur antecedens, quia creatio albedinis extra subiectum non dicit ordinem vllum ad quantitatem, in qua repugnat illam existere; & tamen est materialis: ergo discrimen rei materialis à re

R. P. de Rhodes *enf. Philosoph.*

A spirituali non est ordo ad quantitatem. Imò vniò animæ rationalis cum corpore dicit ordinem ad quantitatem, & tamen est immaterialis.

Respondeo discrimen rei spiritualis à re materiali non esse positum in eo, quod res materialis habeat partes, res autem spiritualis non habeat vllas partes; nam hoc negatur: sed discrimen in eo est, quod res materialis vel sit quantitas, vel ordinem dicat ad quantitatem mediata, vel immediate; res autem spiritualis, neque sit quantitas, neque ordinem vllum dicat ad quantitatem; creatio albedinis extra subiectum mediata dicit ordinem ad quantitatem, quia modus est rei, quæ exigentia est quantitatis; modus autem semper sequitur naturam modificati: vniò animæ cum corpore verè spiritualis est, quia exigit duntaxat quantitatem ad quam terminetur, non autem quantitatem, in qua sustentetur: tunc autem corporeum accidens dicitur, quando exigit quantitatem, in qua sustentetur.

Obiicitur secundò. Si potest accidens spirituale habere partes, non apparet vlla ratio cur ali-
quod accidens spirituale dicatur esse indivisibile: hoc autem absurdum est, quod nullum accidens spirituale potest esse divisibile.

Respondeo tunc tantum accidens spirituale posse dici divisibile, quando dicit ordinem ad aliquid divisibile, ut motus localis, extensio, vniò. Si verò non dicat ordinem ad aliquid divisibile, semper est indivisibile, quia sic sequitur naturam sui subiecti.

Obiicitur tertiò. Modus, ut dictum nuper est, sequitur semper naturam sui modificati, unde implicat ut modus corporeus proprius sit subiecti
spiritualis: ergo simili modo si modificatum sit indivisibile, motus localis, extensio, & vniò sunt indivisibiles, alioqui possent esse materiales.

Respondeo, modum non in omnibus sequi naturam sui modificati, sed in iis tantum, quæ non repugnant effectui eius formali. Repugnat autem indivisibilitas cum effectu formali motus localis, extensionis, & vniònis: non repugnat spiritualitati; idèò quoties modificatum est spirituale, modus est spiritualis, alioqui esset materialis, quia supponitur, & immaterialis, quia ordinem non haberet ad quantitatem, sed potius repugnantiam habet cum quantitate.

§. II.

*Utrum omne materiale sit necessariò
divisibile.*

Dupliciter aliquid esse potest indivisibile. Primò ita ut neque vllas habeat partes integrantes, neque vllum occupet spatium divisibile in quo sit extensum, cuiusmodi esset punctum, si illud existeret in continuo. Secundò ita ut partes quidem nullas habeat, sed locum tamen occupet divisibilem, in quo sit extensum. Non agitur hic de indivisibili inextensio, cuius implicantiam probavi *tract. 1.* sed quaeritur, utrum ens aliquod materiale possit esse sine vllis partibus, & tamen occupare locum divisibilem, & in eo extensum esse.

Dico secundò, nullum ens materiale esse posse indivisibile, & tamen extensum in spatio divisibili.

Ratio est, quia neque substantia vlla completa, neque

M m 3

neque forma substantialis, neque accidens materiale possunt habere indiuisibilitatem cum extensione: ergo nullum ens materiale potest esse indiuisibile.

Primo enim de substantia completa satis id patet, quia nulla substantia corporea expers esse potest quantitatis & materiae, cum per ordinem ad illas constituatur ratio corporis. Vbiunque autem quantitas est & materia, ibi est distinctio partium: ergo nulla substantia completa materialis esse potest sine partium multitudine.

Forma &
accidens.

Secundo de forma substantiali & accidentali difficilior est probatio. Ratio tamen sit, quia implicat ut aliqua forma corporea connaturaliter tota educatur ex singulis partibus materiae; sed ita educi debet, ut una pars educatur ex una parte materiae, altera vero ex altera: sed hoc est esse indiuisibile: ergo quaelibet forma materialis est necessarii diuisibilis. Probatior maior. Implicat ut connaturaliter unus effectus pendeat à pluribus causis totalibus: sed si forma educeretur tota ex singulis partibus materiae, illa exigeret naturaliter pendere à pluribus causis totalibus: ergo nulla forma materialis naturaliter potest educi tota ex singulis partibus materiae. Maior probata est alias, ubi ostensum est posse quidem aliquid diuinitus pendere à pluribus causis totalibus, vel ab una totali, & aliis partialibus; sed esse prorsus impossibile ut pendeat naturaliter. Probatior minor. Tunc aliquis effectus pendet à pluribus causis adaequatis materialibus, quando unus & idem effectus sustentatur à pluribus subiectis, quae adaequate illum sustentant: sed si forma materialis, anima v. g. careret partibus, sustentaretur adaequate à singulis partibus materiae, v. g. cum nutritur viuens & aggeneratur alimentum, corpus viuens ante nutritionem adaequate sustentabat formam, & post nutritionem eadem forma sustentatur à partibus de nouo aggeneratis: ergo ibi sunt plures causae materiales, quarum una est adaequata, & aliae partiales: tam autem implicat, causam aliquam pendere ab una causa adaequata & aliis inadaequatis, quam pendere à pluribus causis adaequatis. Confirmatur, quia anima bouis quae pendet à pede ut subiecto, non penderet tamen subiectiue à pede; quia non pendet subiectiue ab eo sine quo esse potest & operari; sed esse posset & operari sine pede; nam pede abscisso, adhuc esse posset & operari: ergo illa forma non penderet à pede, à quo tamen supponitur pendere.

Confirma-
tio.

Prima ob-
iectio.

Obiicitur primo, nullo modo sequi, quod forma materialis extensa & indiuisibilis penderet à pluribus subiectis totalibus; quod probo. Forma illa materialis eodem modo esset in pluribus subiectis, quo anima rationalis est in pluribus locis; esset enim tota in toto subiecto, & tota in singulis partibus subiecti, sicut anima rationalis est tota in toto loco, & tota in singulis partibus loci: sed anima rationalis est in pluribus locis tantum inadaequatis: ergo forma illa esset in pluribus subiectis solum inadaequatis.

Respondeo magnum discrimen esse inter locum totalem, & causam totalem; locus enim totalis appellatur non ille qui sufficiens est ad continendum se solo totum locatum; sed est locus maximus, quem naturaliter potest res aliqua occupare. Causa vero totalis illa dicitur, quae per se solum totum dat influxum necessarium ut producat effectus. Si ergo forma materialis esset tota in singulis partibus subiecti, & per nutritionem v. g. nouam informaret materiam, esset haud

A dubie causa totalis materia illa, in qua prius erat illa forma, quia totum dabat influxum necessarium ut talis forma sustentaretur; & materia quam de nouo per nutritionem informaret, esset causa partialis: ergo illa forma penderet ab una causa totali, & aliis partialibus, quod est naturaliter impossibile. Locus autem animae, qui est in pede v. g. non est locus adaequatus, quia non est maximus, quem res occupare potest. Vnde ad argumentum patet, maiorem non esse veram.

Obiicitur secundo, animas animalium brutorum esse indiuisibiles, de quo dicendum erit postea fusius.

B

S. III.

Verum anima rationalis sit indiuisibilis.

Dico terro, certum omnino esse, quod anima rationalis nullas habet partes ex quibus constet; sed est prorsus indiuisibilis. Ita tenent Catholici omnes Doctores, traditque Durandus in 1. dist. 8. quest. 3. num. 21. eadem fide tenendam indiuisibilitatem animae, quae traditur eius immortalitas.

Primo enim sic docent SS. Patres, Augustinus lib. 10. de Trinit. cap. 7. & contra epistolam Fundamenti, cap. 16. & 19. Nyssenus lib. de anima, cap. 1.

C

Tertullianus lib. item de anima, cap. 43. Sed ex eo tamen, quod dixi, vix demonstrari ratione naturali, quod forma spiritalis esse non possit diuisibilis, si omnino secludatur fides, esset difficile ostendere indiuisibilitatem animae rationalis.

Secundo ergo supposita immortalitate animae, quam ratio naturalis demonstrat, & posito etiam eo, quod fides docet; praeciso brachio v. g. nulli existere partem animae illius extra corpus, facile demonstratur, animam illam esse omnino indiuisibilem, ratione quam habet Tertullianus loco citato. Perit, inquit, anima, si minoratur. Vnde argumentor. Si anima esset diuisibilis in partes, illa esset vere mortalis; nam illa pars animae, quae abscissa manu, abscissa est, vel moritur, vel alibi est: certum est, tum ex fide, tum ex ratione, illam non mori: constat etiam saltem ex fide, quod illa extra corpus non manet; esset enim vel in caelo, vel in inferno: ergo si anima est immortalis, est etiam indiuisibilis.

D

Obiicitur primo, animam rationalem esse posse diuisibilem, & tamen esse posse totam in toto corpore, & totam in singulis eius partibus; hoc enim non repugnat, cum Christi corpus existeret eo modo in Sacramento.

Respondeo, rem diuisibilem posse quidem diuinitus esse totam in toto, & totam in qualibet parte; quo modo est Christi corpus sub speciebus plane miraculose; sed naturaliter hoc esse impossibile, quia impossibilis prorsus esset illa multitudo partium, si una esset necessarii intra aliam.

E

Obiicitur secundo. Etiam si materia prima sit diuisibilis, est tamen incorruptibilis: ergo anima esse posset diuisibilis, & tamen immortalis, sicut quando secatur serpens, anima tamen eius non statim moritur.

Respondeo, indiuisibilitatem animae non probari ex sola immortalitate, sed ex immortalitate, & supposito quod fides docet, quod praecisa manu nulla praecisa est pars animae, quae sit in caelo, vel in inferno, vel alibi vspiam extra corpus; sequitur enim ex eo, quod anima sit indiuisibilis.

Obiicitur

Tertia ob-
iectio.

Obiicitur tercio. Anima quæ est in digito, diuersa rationis est ab anima, quæ est in oculo; nam exigit diuersas dispositiones: ergo est diuisibilis. Deinde anima in pede non intelligit, & intelligit in capite: ergo diuersa est.

Respondeo animam, quæ in oculo est, non esse diuersa rationis ab anima quæ est in pede, sed esse vnã & indiuisibilem, quæ tamen exigit in vna parte materiæ, quam informat, dispositiones oculi; in altera dispositiones pedis sine vlla heterogeneitate, vt dicitur sectione sequenti. Certum etiam est, intellectum esse in pede; sed ille in solo capite intelligit, quia extra caput non sunt dispositiones requiritæ ad intelligendum.

§. IV.

Vtrum anima omnes materiales sint diuisibiles.

Conclusio.

Dico quartò, animas omnes, tum vegetatiuas, tum sensitiuas brutorum etiam perfectorum esse simpliciter diuisibiles, quauis aliquæ dici possint indiuisibiles secundum quid. Ita omnino sequitur ex dictis conclusione secunda, quod nullum corporeum esse potest indiuisibile.

Animæ ve-
getatiuæ.

Primò autem de animabus vegetatiuis, tamen negatum est à Nemesio lib. de homine, c. 2. & Marfilio Ficino lib. 1. 6. & 8. de Theologia Platonis; res tamen comperta est: diuiditur enim vitis, & pars diuisa viuit: quod idem certum est de animalibus imperfectis, quæ annulosa vocant; pars enim vermis, & serpentis & lacertæ diuisa viuit: vnde patet, quod in singulis partibus materiæ resident singule partes animæ, de quo fusè disserit Augustinus lib. de quantitate animæ, c. 31. Aristoteles lib. 1. de anima, textu 67. & 93. Neque dici potest, solos spiritus causam esse illius motus, quia in perfectis animalibus multò magis id accideret. Imò diuturnior est ille motus, quàm vt causari possit à solis spiritibus; neque tantum mouetur cauda lacertæ, sed sentit etiam se tangi.

Animæ ani-
malium per-
fectorum.

Secundò maior difficultas est de animalibus perfectis, quæ nimirum habent perfectam omnium sensuum organizationem, & distinctionem membrorum principalium, quales sunt equus & leo, vtrum animæ illæ sint diuisibiles; sic enim censent multi cum S. Thoma: sed verius tamen negant Scotus, Durandus, Capreolus, Suarez disp. 15. sect. 10. Probaturque ex dictis nuper, quod implicet ens materiale, quod sit indiuisibile; & tamen extensum: animæ brutorum sunt materiales: ergo sunt simpliciter diuisibiles; sed indiuisibiles tamen secundum quid, quia diuidi non possunt quæ separatæ permaneant.

Prima ob-
iectio.

Obiicitur primò. Sicut pars vna hominis resecta interit, ita pars equi: ergo non minùs est indiuisibilis anima equi, quàm anima hominis; si enim est diuisibilis sicut anima serpentis, debeat viuere pars equi diuisa, sicut viuit resecta pars lacertæ.

Respondeo negando paritatem animæ spirituales, & materiales. Partes ergo animalium perfectorum non viuunt diuise, quia ita perfecta sunt huiusmodi animalia, vt eorum dispositiones exigant perfectas, quæ non possunt omnes reperiri in vna parte separata.

Secunda ob-
iectio.

Obiicitur secundò. Si equus in capite feriat, mouet caudam: ergo eadem anima est in cauda & in capite. Similiter si equus in vna operatione ve-

hementius occupetur, non potest in altera occupari: ergo idem est principium vtriusque operationis.

Respondeo eodem argumento probari, quod animalia imperfecta indiuisibiles habent animas. Ideò ergo equus mouet caudam percussus in capite, quia vnã habet animam, non quidem indiuisibilem, sed habentem partes vnitas, & per mutuatam sympathiam ita coniunctas, vt respondeant vni sensui interno, qui est in cerebro; & vni appetitui, qui est in corde; ideò ergo percussa vna parte, alia mouetur, quia eadem id præcipit phantasia; & idem refugit appetitus; & ob eandem si occupetur animal in vna operatione, deficit in alia; propter finitatem potentie operantis.

SECTIO II.

Vtrum partes animæ diuisibilis sint homogeneæ, an verò heterogeneæ.

Dupliciter intelligi potest quod animæ brutorum compositæ sint ex variis partibus. Primò ita vt omnes illæ partes integrales sint eiusdem rationis; pars nimirum illa quæ est in capite, non differat vllò modo à parte illa quæ est in pede, sed eodem modo possit informare pedem; quo informat ipsum caput. Secundò ita vt partes illæ sint diuersæ rationis, pars videlicet illa quæ est in capite, differat ab ea parte, quæ est in pede, & exigit dispositiones capitis; pars verò quæ est in pede, dispositiones pedis.

Dico quintò, partes integrales animæ diuisibilis esse planè homogeneas inter se. Ita docent Scotus, Durandus, Gregorius: negant verò Suarez, Hurtadus, Pererius.

Conclusio.

Ratio est primò, quia anima rationalis eadem potest informare diuersas partes eiusdem corporis ex eo, quod eminenter sint heterogeneæ: ergo anima equi potest informare partes heterogeneas corporis equini ex eo, quod eminenter tantum sit heterogenea. Deinde omnis anima est actus corporis organici: sed qualibet pars animæ materialis est anima: ergo qualibet pars animæ materialis potest informare corpus organicum, seu heterogeneum. Denique si heterogeneæ sunt partes animæ, non possunt inter se continuari; nam quæ differunt specie, non continuantur, quia esse non possunt vnũ.

Ratio.

Obiicitur primò. Illæ formæ sunt diuersæ rationis, quæ sunt principia determinata diuersarum operationum, & quæ requirunt diuersas dispositiones accidentales: sed pars formæ, quæ est in capite, diuersas exigit dispositiones à forma quæ est in pede: ergo forma, quæ est in pede, diuersæ rationis est à forma, quæ est in capite. Probo maiorem. Indiuidua substantialiter similia non possunt exigere diuersas dispositiones, nec esse principia diuersarum operationum, sed habent eandem dispositiones, & easdem operationes. Minorem autem sic probo. Caput in quantum caput, exigit organa, & habet operationes, quæ non sunt in pede: illa exigentia dispositionum & operationum non oritur à materia: ergo oritur à forma.

Prima ob-
iectio.

Respondeo negando illam minorem. Pars formæ, quæ est in capite, diuersas exigit dispositiones à forma quæ est in pede, quia pars illa formæ quæ est in capite, exigit dispositiones quæ sunt in capite, & dispositiones quæ sunt in pede, manu, &c. non quòd eas exigit in eadem parte, sed in diuersis: idest illa pars animæ exigit vt in

Mm 4 vna

vna parte corporis quod informat sint dispositiones pedis. Aliter etiam responderi potest, quod illa pars formæ existens in capite indeterminatè solum exigit dispositiones capitis, vel pedis, vel manus; quia illa fuit omnino indifferens ut esset in pede, vel in capite: sed tota forma est quæ exigit determinatè dispositiones capitis, pedis & manus, quia illa cum sit actus corporis organici, exigit informare vnam partem quæ habeat dispositiones capitis, & alteram quæ habeat dispositiones pedis. Neque argumenta Hurtadi contra resolutionem hanc aliquid probant.

Secunda obiectio.

Obicitur secundò. Idè dicimus formam equi differre à forma leonis, quia diuersa habent accidentia: sed forma oculi & forma ossis magis diuersa habent accidentia: ergo differunt specie forma ossis, & forma oculi.

Respondeo, dictum nuper esse, quod ex diuersis dispositionibus, quæ sunt in diuersis subiectis, rectè arguitur diuersitas formarum: si autem diuersæ illæ dispositiones sint in eodem supposito, non arguitur diuersitas formarum. Ratio est, quia cum illa principia sint adæquata, nec vnum sit compar alterius, vnum necessariò exigit determinatè tales dispositiones, & non alias; cum vnum suppositum omnino per accidens se habeat respectu alterius, nec ex utroque resultat aliquid vnum per se, sed neque pendeat ab alio secundum suam integritatem: vnde fit, ut vnum non possit pro altero exigere dispositiones illas diuersas. Sed, intra idem tamen suppositum omnes partes sunt inadæquate, & per se vniuntur; idèque potest vna exigere illas dispositiones sibi vel alteri compartit, quod est exigere illas indeterminatè. Ad formam igitur argumenti distinguitur maior. Idè dicimus differre inter se formam equi & bouis, quia diuersas habent operationes, & constituunt diuersa supposita, concedo; si enim essent in eodem supposito, non arguerent diuersæ dispositiones diuersitatem formarum.

Tertia obiectio.

Obicitur tertio. Non repugnat anima constans ex huiusmodi partibus heterogeneis: ergo illa debet admitti; sic enim explicatur facilius, quare diuersas exigit dispositiones in diuersis partibus. Denique videmus aliquando, quod si in materiam oculi dispositiones carnis introducuntur, non potest deinde recuperari dispositio propria oculi: ergo signum est, non mansisse ibi formam oculi.

Respondeo, quidquid sit de possibilitate illius animæ, quæ partes habeat heterogeneas, nego necesse esse ut animæ materiales huiusmodi sint. Sunt autem dispositiones quedam in viuentibus, quæ nequeunt produci nisi per virtutem seminalem; idè illæ semel amissæ, non recuperantur; nam etsi possit homo nutrir, & augere carnem, si tamen abscindatur ei auris, vel digitus, non poterit illa recuperare: si ergo in oculum introducatur fuerint dispositiones carnis, non possunt dispositiones oculi restitui, quia pendent à virtute formatrice feminis.

SECTIO II.

De inæqualitate substantiali animarum.

Idem queri potest de omnibus formis, imò de omnibus speciebus & indiuiduis; sed de animabus tamen præcipue disputari solet, primò de possibili, vtrum animæ diuersæ speciei esse possint æquales inter se; & vtrum animæ eiusdem speciei

A esse possint substantialiter inæquales. Secundò de facto, vtrum animæ eiusdem speciei æqualem habeant perfectionem.

§. I.

Vtrum animæ diuersæ speciei esse possint æquales.

IN primis supponendum est, quid sit aliqua duo esse inæqualia, vel æqualia; esse similia, vel dissimilia. Inæqualia illa sunt, quorum vnum est maius, & alterum minus; seu quorum vnum plus habet perfectionis, quàm aliud. Æqualia, quorum vnum non plus habet perfectionis, quàm aliud. Similia illa sunt, quæ ab intellectu concipi possunt vnicò conceptu; dissimilia, quæ non possunt: possunt ergo, ut patet, aliqua duo esse dissimilia, & tamen æqualia. In diuinis paternitas & filiatione sunt dissimiles; & tamen æquales.

Dico primò, posse animas diuersæ speciei æqualem habere perfectionem, ita ut vna non sit perfectior, nec magis æstimabilis quàm altera. Contrarium sentiunt Suarez *disp. 29. sect. 3.* Valquez *1. p. disp. 121. à n. 11.*

Ratio tamen est. Primò, quia in diuinis, ut dixi, patet diuinis personas esse diuersas inter se & dissimiles; cum tamen nulla sit inter eas inæqualitas. Deinde aliud est esse dissimile, aliud inæquale; ideo in moralibus res sæpe diuersæ sunt, quæ tamen æqualiter amantur & æstimantur. Et demum fatetur Suarez, nulla ratione ostendi posse, quod illud implicet.

Obicitur primò, tradi pluribus locis ab Aristotele, quod species rerum sunt sicut numeri: sed certum est, numeros omnes eo ipso, quod diuersi sunt, esse inæquales: ergo species rerum semper sunt inæquales.

Respondeo verum fortassis esse, quod species rerum, quæ nunc sunt, omnino sunt inæquales & similes numericis: non est verum de possibilibus.

Obicitur secundò. Duæ quantitates diuersæ quantitatiue sunt inæquales inter se: ergo duæ animæ diuersæ essentialiter sunt inæquales essentialiter.

Respondeo negando consequentiam, quia quantitates non habent vllam dissimilitudinem, nisi inæqualitatem; idè mirum non est, quod quoties duæ qualitates habent dissimilitudinem, habeant etiam inæqualitatem. Essentia verò rerum habent aliquam dissimilitudinem, quæ non sit inæqualitas, ut probatum est; idè non valet argumentum à qualitate ad alias essentias rerum.

Obicitur tertio. Ea quæ inæqualiter distant à non ente, sunt inæqualia: sed omnes species inæqualiter distant ab ente, alioqui non erunt diuersæ: ergo illæ sunt inæquales.

Respondeo, maiorem, & minorem falsas esse; potest enim aliquid habere plura prædicata essentialia, quàm aliud; & tamen esse imperfectius alio; nam Angelus habet pauciora prædicata essentialia quàm homo, & tamen est eo perfectior. Deinde falsum est, quod omnes species inæqualiter distant à non ente; quia impossibile est, ut aliquod genus non habeat sub se plures species æqualiter distantes à non ente, idè æqualem habentes numerum prædicatorum essentialium.

S. II.

Utrum anima eiusdem speciei esse possint inæquales substantialiter.

Maior in hoc posteriori puncto est difficultas, & varietas sententiarum, aliis negantibus, aliis affirmantibus, posse duo individua similia essentialiter & specificè, inæqualia tamen esse substantialiter & entitatiuè.

Conclusio affirmans.

Dico secundò, esse probabilius, quod individua eiusdem omnino speciei, & formaliter ac essentialiter similia, possunt esse inæqualiter perfectiora materialiter & entitatiuè substantialiter. Ita docent cum multis veteribus Suarez *disputat. 5. sect. 2. num. 35.* Ariaga *disput. 1. n. 229.* & saepe indicant Arrubal, Herices, Delugo. Quod antequam probem,

Perfectio specifica.

Obserua duobus modis posse aliquid esse alio perfectius substantialiter: primò formaliter & specificè: secundò materialiter & entitatiuè. Tunc aliquid formaliter & specificè perfectius est quàm aliud, quando habet operationes circa diuersa & perfectiora obiecta formalia: tunc vnum materialiter & entitatiuè alio est perfectius, quando habet operationes perfectiores circa eadem obiecta formalia. Quemadmodum duo circuli, aureus, & ligneus, in ratione circuli & formaliter sunt æquales; sed materialiter & entitatiuè inæquales sunt. Eodem modo in qualibet anima duplex cogitari potest differentia. Prima formalis & specifica, in qua conueniunt omnes animæ, quæ habent operationes terminatas ad eadem obiecta formalia: differunt autem illæ, quæ habent operationes terminatas ad diuersa obiecta formalia. Secunda differentia est materialis & entitatiua, in qua conueniunt omnes animæ, quæ habent operationes æquè perfectas circa eadem obiecta formalia. Differunt verò illæ, quæ habent operationes circa eadem obiecta formalia, sed inæqualiter perfectas. Priorem illam differentiam vocari video à Doctoribus specificam; alteram verò individuaalem. Ego magis vocauerim materialem & entitatiuam, quia nomen individualis æquiuocum esse posset, cum ordinariè significet hæceteritatem, quæ non potest esse aliquid commune multis; ista verò perfectio materialis esse potest aliquid commune multis individuis eiusdem speciei.

Ratio ergo vnica hæc sit, quia si possunt duo aliqua individua eiusdem esse speciei, & tamen differre plusquam numero, possunt duæ animæ eiusdem esse speciei, & tamen esse inæquales substantialiter: sed duo individua possunt eiusdem esse speciei, & tamen differre plus quam numero: ergo duæ animæ possunt eiusdem esse speciei, & tamen esse inæquales substantialiter. Maior euidentis est; tota difficultas consistit in minori, quam

Primò sic probo. Duæ species impressæ duarum albedinum distinctarum magis differunt inter se, quàm duæ species impressæ eiusdem albedinis; sed duæ species eiusdem albedinis differunt numero: ergo duæ species duarum albedinum distinctarum differunt plus quam numero: sed duæ species duarum albedinum distinctarum non differunt specie: ergo duo individua eiusdem speciei possunt differre inter se plus quam numero. Prima maior probatur, quia illa magis differunt inter se, quæ habent aliquam dissimilitudinem, quàm alia duo non habent: sed duæ species duarum albedi-

Anum habent vnā dissimilitudinem, quā non habent duæ species eiusdem albedinis, quia species albedinis A, conuenit cum alia specie eiusdem albedinis A, quod representet albedinem A, in quo non conuenit cum specie albedinis B: ergo magis conuenit cum illa specie, quā cum alia. Neque dici potest, quod species impressæ duarum albedinum specificè differant, quia species impressæ specificantur per obiecta, quæ representant: sed species duarum albedinum representant obiecta eiusdem speciei: ergo non sunt obiecta diuersæ speciei.

BSecundò applicari potest idem argumentum ad actus vitales, & viōnes animarum. Cognitio Petri magis differt à cognitione Pauli, quā ab alia cognitione Petri: sed duæ cognitiones Petri differunt numero: ergo cognitio Petri, & cognitio Pauli differunt plusquam numero. Item duæ viōnes eiusdem animæ rationalis minùs inter se differunt, quā duæ viōnes duarum animarum: sed duæ viōnes eiusdem animæ differunt numero: ergo, &c. Denique cognitio Petri solius non differt specie à cognitione Petri & Pauli, cum obiecta eiusdem sint speciei: sed cognitio Petri & Pauli est perfectior quā cognitio solius Petri: ergo eū non sit formaliter & specificè perfectior, est perfectior materialiter, & entitatiuè.

CTertiò à priori ratio esse potest, quia illa individua, quæ sunt principia operationum perfectiorum circa eadem obiecta formalia, sunt perfectiora materialiter & entitatiuè, quāuis non sint perfectiora specificè: sed non implicat, vt vnum individuum sit principium operationum perfectiorum circa eadem obiecta formalia: v. g. non implicat vt anima vna seclusis organis exigit operationes perfectiores circa eadem obiecta formalia, quā alia anima: ergo potest anima vna esse perfectior materialiter & entitatiuè quā alia anima eiusdem speciei.

DObiicitur primò. Si in substantia animæ Petri reperitur aliquis gradus substantialis, qualis non est in substantia animæ Pauli, sequitur quod animæ istæ differunt specie: sed si animæ istæ differunt substantialiter, datur aliquis gradus in anima vna, qui non est in altera: ergo animæ istæ specie differunt. Probatur maior. Quotiescunque aduenit alicui nouus gradus substantialis, aduenit noua differentia specifica: sed anima Petri habet gradum vnum substantialem, quem non habet anima Pauli: ergo anima Petri habet differentiam specificam ab anima Pauli.

ERespondet distinguendo primam maiorem. Si reperitur in anima Petri gradus aliquis essentialis & formalis, qui non sit in anima Pauli, illæ animæ specie differunt, concedo; si reperitur aliquis gradus materialis & entitatiuus, negatur maior. Gradum essentialem & formalem appellauimus eum, qui est principium operationum diuersæ rationis, & circa diuersa obiecta. Gradum entitatiuum & materialem eum, qui est principium operationum eiusdem rationis, & circa eadem obiecta, sed perfectiorum: eademque distinctio soluit probationem maioris.

Obiicitur secundò. Ille gradus est propria differentia essentialis ipsius animæ, qui est illi omnino intrinsecus; & constituit ac componit hoc individuum animæ: sed perfectio ista substantialis animæ Petri est illi intrinseca, & ita constituit hanc animam, vt illa non possit concipi sine hac perfectione: ergo illa perfectio est essentialis animæ Petri. Imò illæ duæ animæ inæquales substantialiter

Prima obiectio.

Secunda obiectio.

tialiter, necessariò differunt vel essentialiter, vel accidentaliter: non differunt accidentaliter tantum, alioqui non differunt substantialiter: ergo differunt essentialiter, idest specificè.

Respondeo distinguendo primam maiorem. Ille gradus est propria differentia essentialis, qui est intrinsecus & constituit formaliter hoc individuum animæ; ita videlicet, ut sit principium operationum circa diversa obiecta formalia, concedo maiorem; si constituit tantum materialiter, idest si est duntaxat principium operationum perfectiorum circa eadem obiecta, nego. Hæc autem perfectio, in qua differunt animæ inter se ut inæquales, est solum materialis, ut sæpe dixi. Deinde nego illam alteram maiorem. Istæ animæ vel differunt essentialiter, vel accidentaliter; neutro enim modo differunt, sed differunt materialiter substantialiter.

Tertia obiectio.

Obiicitur tertio. Ille gradus perfectionis substantialis necessariò refertur ad unum ex quinque universalibus, genus, speciem, differentiam, proprium & accidens: non refertur ad genus, speciem, proprium & accidens: ergo refertur ad differentiam: sed omnis differentia est essentialis; prædicatur enim in quale quid, & constituit genus aut speciem: ergo ista perfectio est essentialis animæ.

Respondeo istam perfectionem, in qua differunt animæ duæ unius speciei, referri ad prædicabile differentie: nego autem quod omnis differentia sit essentialis, nam datur differentia individualis, quæ intrinseca est; & tamen non est essentialis, quia Petrus & Paulus non differunt essentialiter. Ista ergo perfectio materialis duntaxat est differentia, non essentialis, nec specifica, vel generica, sed entitativa & materialis; nec prædicatur in quale quid formaliter, sed in quale quid materialiter.

Quarta obiectio.

Obiicitur quarto. Implicat ut duo aliqua sint inter se æqualia, & inæqualia in aliquo quod est unum & indivisibile: sed gradus specificus & gradus iste substantialis sunt aliquid unum & indivisibile: ergo implicat ut anima una sit æqualis alteri animæ secundum gradum specificum, & inæqualis secundum gradum istum substantialem.

Respondeo certum esse, quod Petrus & equus æquales sunt, & omnino similes secundum gradum genericum animalis, & inæquales secundum gradum specificum, quia gradus genericus & specificus licet realiter sint aliquid unum & indivisibile, virtualiter tamen & æquivalenter inuicem distinguuntur. Idem dico de gradu specifico, & perfectione ista materiali; sunt enim unum realiter, sed fundamentaliter tamen & æquivalenter plures sunt.

S. II.

Utrum animæ unius speciei de facto sint inæquales substantialiter.

A questione de possibili transco ad questionem de eo quod est actu; nam posito quod inter animas eiusdem speciei possit esse aliqua inæqualitas substantialis, quæ non sit nisi materialis & entitativa, meritò queritur, utrum tanta illa inæqualitas perfectionis, quæ reperitur inter homines v. g. debeat tribui animabus ipsis, quæ sint inter se inæquales; an verò debeat attribui conformationi organorum & temperamento.

Conclusio.

Dico tertio, esse probabilius, quod omnes ani-

ma unius speciei sunt inter se omnino æquales substantialiter, adeò ut tota illa inæqualitas ingeniorum hominum petatur ex sola diversitate organorum. Ita communis censent Scholastici contra Scotum 8. *Metaphysica*, q. 1. & Ferrarensem lib. 1. contra Gentes.

Ratio autem primò est, quia idè tantum affertur animas hominum esse inter se inæquales in perfectione, quia magna est inter homines inæqualitas operationum; alij enim perfectissimas habent intelligentias, ingenium sagax, promptum, solidum; alij tardum, solidum, stupidum: hæc ratio non probat inæqualitatem animarum substantialem. Si enim ex inæqualitate illa operationum colligi posset inæqualitas animarum, colligendum etiam esset eandem animam aliquando esse perfectiorem, aliquando imperfectiorem seipsa; experimur enim eodem homines alia ætate esse in intelligendo acutiores, aliàs hebetiores; imò multos ex morbis & potionibus factos esse omnino stolidos: tantum hoc discrimen operationum eiusdem hominis, tametsi maximum, refertur in sola organa. Compara puerum Aristotelem, cum Aristotele viro & erudito; utrum tanta est inter homines diversitas inæqualitas, quanta est inter Aristotelem puerum & virum? Hæc diversitas Aristotelis soli tribuitur organo: ergo tribui potest organo diversitas operationum, quas habent diversi homines.

Obiicitur primò. Tunc inter duo individua eiusdem speciei est inæqualitas perfectionis materialis & entitativæ, quando unum operatur perfectius quàm aliud: sed diversæ hominis animæ operantur perfectius: ergo illæ sunt inæquales substantialiter.

Respondeo distinguendo maiorem. Tunc inter individua eiusdem speciei est inæqualitas perfectionis entitativæ, quando unum operatur perfectius, ita ut illa perfectio diversæ operationis proveniat ab intrinseca eius virtute, concedo; si autem proveniat ab organo aliquo extrinseco, negatur esse inæqualitatem inter illa individua.

Obiicitur secundò. Per operationes iudicamus de substantia rei, & ubi sunt diversæ operationes circa diversa obiecta formalia, ibi est differentia essentialis: ergo ubi sunt operationes perfectiores circa eadem obiecta, ibi est differentia materialis.

Respondeo negando consequentiam, quia diversæ organa non possunt iuvare operationes circa diversa obiecta formalia, sed possunt iuvare ut eadem anima operetur interdum perfectius, aliàs verò imperfectius: sicut idem homo interdum bene, alias prave scribit, si aptum aut incommodum habeat calamus.

Obiicitur tertio. Non ex alio capite colligimus viventia specie diversa inæqualem habere perfectionem specificam, nisi ex accidentibus diversæ rationis, quæ in illis experimur: sed intra eandem speciem homines habent accidentia longè diversæ rationis; nam certè inter quum v. g. & mulum minus discrimen est quàm inter Achillem & Theristem, siue in ingenio, siue in temperamento: ergo illi animas etiam habent diversæ rationis.

Respondeo diversitatem specificam viventium rectè colligi ex dispositionibus notabiliter diversis. In diversis hominibus sunt quidem dispositiones aliquo modo diversæ, sed non ita notabiles, ut sufficiant ad diversitatem specificam animarum, alioqui variarentur etiam animæ in eodem homine, cum varietur etiam temperamentum.

QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

De potentiis animæ.

Consideravi hæcenus Reginam animam in se ipsa; nunc ad satellitium eius inspiciendum devenio: sic enim potentias eius appellat Philo. de quibus sufficit duo scire: primò distinctionem earum ab anima: secundò distinctionem earum inter se, & specificationem ab objectis.

SECTIO I.

Qualis sit distinctio inter animam & eius potentias.

Certum est, nullam esse posse animam, cui plures non insint potentie vitales, idest vires & facultates, quæ sint immediata principia operationum vitalium, quia videlicet anima non constituitur vivens, nisi per operationem immanenter productam: necesse igitur est ut facultatem habeat efficiendi tales operationes; quæ facultas quia pro varietate operationum multiplex est, oportet multiplicem quoque potentiam inesse animæ ad vitam vegetativam, sensitivam, & rationalem. Difficultas igitur tantum est, utrum facultates huiusmodi & potentie immediate operatiue sint qualitates aliquæ superaddite ipsi animæ; an verò sit ipsamet anima, quæ immediate per seipsam illa omnia operetur.

Qua in re duas in factiones abiit Schola Thomistica, & Scotistica: ista negat distingui ab anima istas potentias; illa ponit distinctas esse: sed neutra satis efficaciter videtur demonstrare quod contendit: probabilibus enim tantum argumentis ambæ se invicem imperunt; unde facile non est alteri parti adiudicare victoriam, nec omnino tutum ab una stare.

Dico primò, probabilius videri, quod anima sola sine ullis qualitatibus superadditis elicit operationes vitales, atque adeò potentias animæ non distingui realiter ab anima. Ita docent cum Scoto Scotista omnes, & Nominales, Bonaventura, Lessius lib. 2. de summo bono, n. 45. Hurtadus, Ariaga. Contrarium cum S. Thoma tradunt Thomista, Suarez, Vasquez, Auerla, Valentia.

Ratio est, quia non est vlllo modo necesse ponere in anima qualitates istas distinctas, si nunquam illæ inveniuntur separate ab anima, etsi ad omnes operationes vitales necesse sit concurrere ipsam etiam animam; hæc enim duo videntur signa esse sola distinctionis realis inter animam & potentias; illis autem demptis frustra dicuntur hæc qualitates esse distinctæ ab anima. Sed manifestum est, potentias omnes animæ inseparabiles esse ab anima, & animam etiam immediate concurrere ad omnes actus vitales; si enim anima non concurreret per se ipsam immediate, nunquam experiremur oculum non videre, aurem non audire, quando intellectus v. g. versatur attentius in contemplatione alicuius objecti. Nam quia in aqua v. g. distinctæ qualitates sunt frigus & humiditas, certè eum vehemens est actio frigoris, non impeditur actio humiditatis. Ita si differunt inter se potentia visiva & auditiva, cum erit vehemens & attenta operatio potentie visivæ, non hebesceat virtus activa potentie auditivæ. Nec est vlllo modo pro-

habile quod aliqui hoc referunt ad defectum spirituum; sic enim deberet fatiscere totum corpus. Ergo non est vlllo modo necesse distinguere realiter potentias animæ ab ipsa anima, ut patebit etiam magis ex solutione difficultatum.

Dico secundò, potentias animæ distingui formaliter ab anima.

Distinctio formalis.

Ratio est, quia ut anima distinguatur formaliter à potentiis, satis est quod diversa sit definitio, & conceptus animæ ac potentiarum: sed diversa sine dubio est definitio ac conceptus animæ & potentiarum; nam anima ut anima est, ordinatur ad corpus organicum, potentie verò ordinantur ad operationes: est ergo inter animam & potentias distinctio saltem formalis. Adde quod potentie non possunt distingui formaliter inter se, quin distinguantur formaliter ab anima. Distinguuntur autem inter se potentie, intellectus enim & voluntas diversos habent conceptus, & diversa objecta: ergo distinguuntur formaliter ab anima.

Obicitur primò. Non est maior ratio, cur dicantur formæ omnes inanimæ habere qualitates activas distinctas per quas operentur, quam anima: cur ignis v. g. agat per calorem distinctum, aqua per frigus distinctum: ergo potentie animæ tam differunt realiter ab anima, quam calor differt ab igne, & frigus ab aqua.

Prima obiectio.

Respondeo esse magnum discrimen inter animam, & formas inanimatas, quia potentie activæ formarum inanimatarum ab ipsis separantur, & sine illis agunt; nam calor separatur ab igne, & sine igne agit: potentie animæ, neque separatæ unquam videntur ab anima, & sine illa non agunt: non ergo comparari possunt cum facultatibus activis formarum inanimatarum.

Obicitur secundò. Id quod est immateriale distinguitur realiter ab eo quod est simpliciter materiale. Anima non est materialis, potentie autem organicæ sunt materiales, quod probò: nam potentia visiva ut visiva, est essentialiter dependens ab organo in operari: ergo est etiam dependens in suo esse; nam operari sequitur esse, & ex operatione colligitur esse ipsius rei.

Secunda obiectio.

Respondeo potentias animæ rationales esse immateriales in suo esse, quamvis operationem habeant pendente ab organo. Ex operatione adæquata colligitur esse ipsius rei, non autem ex operatione inadæquata: potentia visiva ut visiva operationem habet pendente ab organo; neque tamen ipsa in suo esse pendet ab organo, quia cum consideratur ut visiva, non consideratur adæquate, sed inadæquate tantum; cum eadem anima, quæ potentia est visiva, sit etiam intellectiva: operari ergo adæquate sumptum sequitur esse, non autem operari sumptum inadæquate.

Obicitur tertio. Intellectus & voluntas in homine magis distinguuntur ab anima, & inter se quam distinguuntur in Deo: sed in Deo intellectus & voluntas distinguuntur formaliter ab essentia Dei, & inter se: ergo in homine distinguuntur plus quam formaliter.

Tertia obiectio.

Respondeo intellectum & voluntatem in Deo distingui solum formaliter explicitè, sed formaliter implicitè non distingui ab essentia Dei, vel inter se; in homine autem distinguuntur formaliter, tum ab anima, tum inter se, neque se invicem includunt formaliter: magis ergo distinguuntur in homine quam in Deo, ut satis dictum est in tractatu de Deo.

S E C T I O II.

*An, & quomodo potentia inuicem distinguantur,
& specificentur ab obiectis.*

Dixi potentias animæ realiter identificari cum ipsa anima, & inter se; formaliter autem, id est conceptu, sic distingui, ut concipiatur & definiatur una potentia, non definita neque concepta altera potentia, cum qua tamen eadem est realiter.

Status con-
trouersia.

Quod supponendum magis hoc loco est quam probandum contra Nominales veteres & novos, cum quibus late disputatum est in Metaphysica, & probatum est negari nullo modo posse præcisiones obiectiuas, seu distinctionem rationis cum fundamento in re, in qua vnum concipitur & definitur non conceptu formaliter & secundum propriam rationem alio, cum quo tamen identificatur realiter. Id quod ego nec ab ipsis puto negatum iri aduersariis, si conueniant de ipso sensu controuersia, quem ipsi prorsus immutant, & aliud detorquent.

Posito ergo quod formali conceptu potentia omnes inter se differant, merito quaeritur unde sumi possit formalis illa distinctio, seu specificatio potentiarum, ratione cuius una specie differt ab altera, & definitur non definita nec concepta altera: nam illud dicitur specificare aliud, quod constituit illud in tali specie, & illud distinguit à quolibet alio.

Prima con-
clusio.

Dico primò, potentias animæ specificari non posse intrinsecè per actus & obiecta, sed ad summum extrinsecè, ita ut differentia intrinsecè constituens & distinguens potentias, non sint ipsi actus & obiecta, sed ordo ad actus & obiecta.

Ratio est, quia illud non specificat intrinsecè aliud, quod non est intrinseca & essentialis eius differentia; nihil enim magis est intrinsecum rei, quam eius essentia: sed actus & obiecta, quæ sunt extrinseca ipsi potentia, non sunt intrinseca & essentialis eius differentia: ergo potentia non specificatur intrinsecè per actus & obiecta. Per illud autem aliquid specificatur extrinsecè, cuius differentia essentialis est ordo ad illud. Sed quando dicitur potentias specificari ab actibus & obiectis, significatur tantum differentiam constitutiuam potentiarum esse ordinem ad actus & obiecta: ergo ad summum potentia specificantur extrinsecè per actus & obiecta.

Secunda
conclusio.

Dico secundò, potentias animæ nullo modo specificari aut distingui per obiecta materialia, nec per obiecta formalia in ratione rei. Conueniunt etiam in eo omnes Philosophi.

Obiectum
formale &
materiale.

Obserua enim ex iis, quæ initio metaphysicæ dicta sunt, triplex esse obiectum cuiuscunque potentia: vnum per se primò, seu formale, quod primò terminat actum potentia, ita ut potentia non ordinetur ad aliquid nisi ratione illius; quo modo sapor est obiectum per se primò gustus. Alterum dicitur obiectum per se, seu materiale, quod potentiam quidem terminat, sed non semper; nec ob id percipitur, quia est tale, ut albedo est obiectum per se visus, sed non primò, quia licet percipiatur à visu, non tamen quia est albedo. Rursum obiectum illud formale duplex est; alterum ipsius rei in se, quod vocatur ratio quæ, scilicet illud quod potentiam primò terminat, ut calor respectu visus, sapor respectu gustus. Alterum ipsius rei, quatenus obiectum est, seu ratio propter quam; quia propter illam potentia tendit ad ob-

Aiectum ipsum reale. Et hoc sumitur respectu potentia, ut visibile in calore, gustabile in sapore. Hoc posito.

Ratio cur potentia vitales non specificentur ab obiectis materialibus, facilis est, quia potentia diuersæ possunt versari circa idem obiectum materiale; nam eandem albedinem videt oculus, percipit sensus internus, & cognoscit etiam intellectus. Imò voluntas nullum appetit obiectum, quod intellectus non antè cognouerit: ergo id quod specificat & distinguit, non est obiectum materiale. Imò eadem potentia versari potest circa plura obiecta materialia, etiam specie diuersa: idem oculus percipit album & nigrum: idem intellectus ad quodlibet ens suam extendit operationem. Si ergo ab obiectis materialibus peteretur potentiarum diuersitas, tot essent potentia, quot sunt obiecta materialia diuersa.

Eademque ratio probat, quod ab obiectis etiam formalibus consideratis in ratione rei non distinguuntur potentia; quia certum est quod à distinctis potentiis & distinctis actibus attinguntur eadem obiecta formalia sumpta in ratione rei. Obiectum v.g. intellectus est verum, & illud idem verum amat voluntas, quia verum est. Calor est obiectum visus, & eundem percipit intellectus, qui cum sit potentia vniuersalis, attingit obiecta formalia omnium potentiarum inferiorum, & eadem illa voluntas amat vel odit: ergo manifestum est, quod ex obiectis etiam formalibus in se consideratis propterea res quadam sunt, non est petenda specificatio potentiarum vitalium, cum illa pluribus etiam potentiis esse possint communia.

Dico tertio, potentias specificari ab obiectis formalibus adæquatis sumptis in ratione obiecti. Ita docent communiter Scholastici cum S. Thoma 1. parte, q. 77. art. 5. contra Scotum & paucos alios.

Primò dixi specificari potentias ab obiectis formalibus. Ratio est, quia potentia non possunt non specificari per obiecta formalia, si referantur essentialiter & transcendentaliter ad obiecta. Si enim referuntur essentialiter, ordo est illis essentialis ad obiecta formalia, sicque id quod extrinsecè specificat, sunt obiecta: sed potentia vitales habent essentialem ordinem ad obiecta formalia, sicut potentia passiva materia primæ ordinem habet essentialem ad formas; sine obiectis enim implicat cognosci & definiti potentias: ergo ab obiectis formalibus specificantur potentia, totaque ab obiectis petitur earum vnitas aut diuersitas. Adde quod totum munus, & totus finis ad quem ordinantur potentia, est tendentia in obiecta: ergo in illa obiecta ordinantur potentia, & per illa specificantur, sicut instrumenta artis intrinsecè ordinantur ad opus aliquod faciendum. Deinde nihil est excogitabile, à quo potentia possint specificari præter obiecta & actus; nam omnes illæ fluunt ab eadem anima: ergo non specificantur à principio à quo sunt. Eademque ratio probat actus specificari ab obiectis, non autem à principijs productiuis, ut in Theologia sæpe probatum est, quia possunt ab eodem principio prodire actus specie diuersi, & actus omnes intrinsecè ac essentialiter ordinantur in obiecta. Neque refert quod actus transcendentaliter etiam referantur ad principia; nam ordo ad obiectum est primarius & specificatiuus; ordo autem ad principium secundarius tantum est, ut probaui olim.

Secundò dixi, potentias specificari ab obiectis formalibus adæquatis, non autem ab obiectis partialibus.

tialibus & inadæquatis. Vocatur autem obiectum adequatum alicuius potentie, ratio aliqua, ad quam referuntur, & sub qua continentur omnia quæcunque attinguntur à tali potentia. Verum v. g. obiectum est intellectus; bonum est obiectum voluntatis; coloratum est obiectum visus, quia illa ratio continet quæcunque attinguntur visu; nihil enim videtur quod non sit coloratum. Tunc autem obiectum cognoscitur esse adequatum, quoties videmus quod si quis priuatur vno actu ex aliquo impedimento vel morbo, priuatur etiam aliis omnibus; & si possit exercere vnum, possit etiam exercere omnes, tunc verè dicimus illos omnes actus spectare ad eandem potentiam: si verò quis vno actu priuatur, non tamen priuatur aliis, tunc verè colligimus illas esse diuersas potentias. Sed melius etiam docet Suarez, obiectum adequatum cognosci ex modo quo potentia obiectum attingit, & ab eo immutatur. In potentiis verò appetitiuis colligitur obiectum adequatum à posteriori ex potentiis cognoscitiuis, quarum operationes præsupponunt ut ipsæ operari possint.

Obiectum
in ratione
obiecti.

Tertio dixi, potentias specificari ob obiectis in ratione obiecti, quæ vocatur, ut dixi, ratio propter quam, vel ratio sub qua: specificatur v. g. intellectus ab ente propter est intelligibile; voluntas ab eodem ente ut est appetibile; calor specificatur visum ut visibilis est, quia voluntas appetit ens ut est appetibile, non propter est intelligibile. Intellectus attingit ens appetibile, non propter appetibile, sed propter intelligibile. Quamvis ergo, ut nuper dixi, obiectum formale consideratum in se, in ratione rei sit commune potentiis pluribus, nunquam tamen obiectum in ratione obiecti esse potest nisi vnius duntaxat potentie.

Sed difficultas tamen tota est, quid significet obiectum illud in ratione obiecti; quid nimirum significet intelligibile, appetibile, visibile? Si enim significet illud quod potest intelligi, appeti, videri, certè illud non est per quod specificatur potentia, quia est aliquid posterius specificatione potentie, & illam supponit; actus enim qui specificatur ab obiecto intelligibili, specificaretur ab obiecto propter terminante actum; quod implicat.

Itaque obiectum intelligibile sumi potest primo formaliter & passiuè, significatque obiectum propter terminare potest actum potentie. Secundo fundamentaliter & actiuè, significatque obiectum ipsum propter mouere potest potentiam tali, vel tali modo; est enim virtus obiecti, & proportio ad potentiam mouendam tali, vel tali modo. Et hoc est obiectum formale specificationum potentie, & actus vitalis; estque aliquid in obiecto prius potentie & actu, per quod vtrumque distinguitur & specificatur.

Obicitur primo. Id quod est constitutum & distinctum vnius, debet esse aliquid vnum & indiuisibile: sed obiecta vnius potentie innumerabilia sunt etiam specie diuersa; nam album & nigrum sunt visibilia specie diuersa; & intelligibilia sunt infinita specie ac numero diuersa.

Respondeo obiecta inadæquata vnius potentie esse posse innumera, & specie distincta; sed obiectum formale adequatum esse necessariò vnum, saltem per intellectum, & indiuisibile in ratione obiecti: v. g. intelligibile ratio est vna & indiuisibilis, in qua conueniunt omnia quæ percipiuntur ab intellectu: eadem est ratio aliarum potentiarum.

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

A Instabis. Potentia intellectiva est vna specie infima: ergo si specificatur ab obiecto debet habere obiectum vnum specie infima, cum tamen intelligibile sit vnum genericè.

Respondeo obiectum cuiuscunque potentie semper esse vnum specie in ratione obiecti, sed propter peculiarem habet proportionem cum ipsa potentia, cuius actum terminat; posse tamen esse vnum genericè in ratione rei, sic enim intelligibile in ratione rei vnum est genericè, in ratione obiecti vnum est specificè. Neque hinc sequitur, omnes actus eiusdem potentie vnius esse speciei; quod est manifestè falsum: nam visio albedinis & visio nigredinis differunt specie. Non, inquam, hoc sequitur; nam actus propter comparantur cum potentiis, specificantur ab obiecto in ratione obiecti, & sunt vnius speciei infimæ: propter autem sumuntur secundum se, specificantur etiam ab obiecto in ratione rei, & sic vnius non sunt semper speciei; visio enim nigri, & visio albi specie differunt.

B Obicitur secundo. Si actus & potentia; imò & habitus specificentur ab iisdem obiectis formalibus, sequitur quod actus & potentia sunt eiusdem speciei.

Respondeo, potentias specificari ab obiectis per modum principij, actus specificari ab obiectis per modum tendentie; vnde specie differunt: habitus autem nunquam habent eadem obiecta formalia potentiarum.

C Obicitur tertio. Potentie non specificantur per obiecta, si totum & adequatum obiectum vnius potentie attingatur per aliam potentiam: sed totum & adequatum obiectum intellectus, nempe verum & intelligibile, sic attingitur à voluntate, ut illud sit motuum actus voluntatis; nam voluntas amat formaliter verum, quia verum est: ergo motuum actus voluntatis est motuum actus intellectus. Similiter nulla est excogitabilis ratio in obiecto vnius potentie, quæ non attingatur ab intellectu & à voluntate; cognosco enim colorem & amo illum ut visibilis est; sonum ut est audibilis, & sic de cæteris: ergo, &c.

D Respondeo, posse quidem obiectum formale ac motuum vnius potentie attingi ab altera potentia tanquam obiectum materiale; imò etiam tanquam obiectum formale in ratione rei; sed non posse attingi tanquam obiectum formale in ratione obiecti: v. g. voluntas potest amare obiectum verum, quia est verum; propter verum illud est bonum & appetibile, non præcisè ut verum est. Quod enim est obiectum materiale vnius potentie, potest esse obiectum formale alterius; sed nunquam obiectum formale vnius esse potest obiectum materiale alterius. Verum igitur illud est, totum quod attingit vna potentia, attingi etiam ab altera; sequitur enim ex hoc, quod obiecta materialia vtriusque potentie possint esse eadem: sed non est verum quod attingatur sub eadem ratione formali, quantumvis attingatur illa ratio formalis: v. g. intellectus attingit obiectum visibile, sed non attingit ut visibile: voluntas attingit totum intelligibile, sed attingit illud ut amabile.

E Obicitur quarto. Obiectum illud in ratione obiecti necessariò significat obiectum propter potest causare actum; mouere scilicet potentiam ad talem actum; atque ita includit necessariò ipsum actum: ergo si obiectum in ratione obiecti est id quod specificat actum, actus ipse specificat seipsum: intelligibile v. g. significat obiectum
N n actum

QDGS

Actum propterea mouere potest intellectum ad intellectionem, sicque datur circulus vitiosus, & petitio principij.

Respondeo negando quod obiectum in ratione obiecti contineat actum in suo conceptu; nam intelligibile v. g. significat obiectum propterea mouere potest potentiam modo ipsi proportionato; modus autem ille non significat directè actum, sed vim obiecti ad fundandum actum; atque adeo illum non includit nisi obliquè tantum, & indirectè.

QVÆSTIO IV.

De actu vitali generatim.

Explicatis potentiis vitalibus, duo sunt de actibus earum vitalibus scitu digna: primò quidditas actus vitalis: secundò causa, per quam actus producitur, vel etiam diuinitus produci potest.

SECTIO I.

Propria ratio, & quidditas actus vitalis.

Definitur actus vitalis, is qui manet in principio à quo est, postquam illud est perfectum in suo esse connaturali: sic enim constat ex dictis prima quæstione de propria ratione vitæ. Ex ea verò definitione triplex circa vitalitatem ipsius actus enascitur difficultas: prima, vtrum in omni actu vitali sit necessariò terminus aliquis realis productus de nouo: secundò vtrum reperitur etiam actio à termino distincta: tertio vtrum actus vitalis in vtroque consistat, an in altero eorum.

§. I.

Verum omnis actus vitalis habeat terminum aliquem intrinsecum, & actionem distinctam.

Omnis actus vitalis operatur circa aliquid, quod vocatur eius obiectum: sed quidam actus vitales producant entitatem illius obiecti sui, quales sunt omnes actus vegetatiui: alij non faciunt obiectum suum, sed illud supponunt iam factum; huiusmodi sunt omnes actus cognoscitiui, & appetitiui, quorum obiectum est extrinsecus eorum terminus.

Difficultas est ergo de actibus istis, quibus obiectum cognoscitur aut appetitur; vtrum præter extrinsecum illud obiectum producant etiam immanenter aliquem terminum, qui sit vera qualitas, v. g. intellectus producat intelligendo verbum aliquod mentis, quod sit expressa imago obiecti cogniti; oculus videndo pingat eorum imaginem quæ videt, & sic alie omnes potentie cognoscendo & amando producant in subiecto suo, vel seipsis veras qualitates; an verò actus cognoscitiui, & appetitiui sint duntaxat actiones omnino puræ, per se immediatè pendentes à potentia vitali, sine villo alio termino reali.

Conclusio affirmans. Dico primò, nullum esse actum vitalem cognoscitiuum aut appetitiuum, per quem non producatur de nouo aliqua qualitas realis, quæ in poten-

tiis cognoscentibus dicitur species expressa, & in intellectu verbum mentis, in appetitiuis pondus & impulsus in obiectum. Ita docet commune Theologorum suffragium, à quibus non pauci discedunt Thomistæ.

Primò enim ratio generalis est, quia omnis actio vt sic est fieri; omne autem fieri est necessariò fieri alicuius termini; quomodo enim erit fieri si nihil fiat: ergo omnis actio etiam vitalis habet terminum productum de nouo. Neque vlla potest afferri ratio, cur actio transiens habeat necessariò terminum; actio verò immanens non habeat. Confirmatur primò, quia vbi est dependentia, ibi est aliquid dependens; dependentia enim est alicuius dependentia: omnis actio est dependentia: ergo in omni actione est aliquid dependens, siue terminus. Similiter vbicunque est aliquid factum vt quo, debet esse aliquid factum vt quod: omnis actio fit vt quo: ergo debet etiam aliquid esse factum vt quod: ergo habet terminum.

Secundò de actibus cognoscitiuis probari specialiter potest, quia omnis cognitio est assimilatio potentie cum obiecto, vt dicitur 4. *disp.* sed omnis actus cognoscitiuus est cognitio: ergo omnis cognitio est productio similitudinis. Omnis autem imago est vera qualitas: ergo cognitio est productio qualitatis.

Obiicitur primò Aristoteles 9. *Metaph.* textu 16. dicens, quasdam esse actiones, quarum nullum aliud opus est præter ipsam actionem: loquitur autem ibi de actibus cognoscitiuis, & appetitiuis: ergo in illis nihil fit præter ipsam actionem. Respondeo Aristotelem eo loco velle duntaxat, quod actiones cognoscitiuæ non habent aliquod opus, quod post ipsas maneat, quale habent actiones transeuntes; sed non negare tamen, quod habeant aliquod immanenter productum, quod etiam illis cessantibus omnino cessat.

Obiicitur secundò. Si actio cognoscitiua quælibet necessariò habet terminum productum de nouo, erit etiam necesse vt motus localis, qui est verum fieri, & dependentia, terminum habeat productum de nouo, quod tamen 4. *Physicorum* negatum est.

Respondeo motu etiam locali produci aliquid reale, videlicet fluxum in spatio; qui non est tamen aliquid distinctum à motu, quia motus actio est purè adductiua. Cognitio verò non solum producit terminum, sed terminum etiam distinctum, vt statim dicam, quia cognitio actio est assimilatiua potentie cum obiecto, atque adeo actio est productiua.

Obiicitur tertio, cognitiones esse actiones à natura institutas, vt per eas vniantur potentie cum obiectis suis, non autem vt per eas aliquid producatur; cognitio enim tendentia est in obiectum: cognitio ergo nihil producit in cognoscente nisi seipsam.

Respondeo cognitionem, quæ vnio est potentie cum obiecto, non posse fieri sine productione alicuius qualitatis, quæ sit nexu potentie, ex eo quod illam vniat cum obiecto.

Dico secundò, actionem qua producitur qualitas terminans actum vitalem, esse modum ex natura rei ab illa qualitate distinctum. Contra Valquem, Quicquid, & alios non paucos, qui volunt qualitates illas vitales immediatè seipsis egredi ab agente absque actione aliqua media distincta.

Ratio est, quia nulla videtur esse causa sufficiens propter quam alie actiones distingui debeant à terminis,

Quaest. IV. Sect. I. de Corpore organico. 423

minis, ista verò non debeant distingui; tota enim ratio propter quam dicantur actiones aliae distinguì, est quia possunt illae fieri ab agentibus diuersis, immutato manente termino. Qualitas autem per actum vitalem producta pendere potest à diuersis agentibus; fieri enim potest ab habitu, vel sine habitu: fieri potest per illam, vel per aliam speciem impressam; imò fieri potest à solo Deo, ut statim dicam: ergo actio productiua huius termini est modus ab eo termino distinctus.

Prima obiectio.

Obiicitur primò. Id quod essentialiter pendet ab agente, pendet ab eo immediatè per seipsum; quod enim est essentialiter tale, seipso est tale. Actus vitalis pendet essentialiter ab agente; actus enim vitalis non potest fieri nisi à viuentè: ergo actus vitalis pendet per seipsum immediatè.

Respondeo duo esse in actu vitali, actionem & terminum: actio pendet essentialiter ab agente, pendetque per seipsam immediatè: terminus autem non pendet essentialiter; potest enim fieri à Deo solo, fieri potest per aliam speciem impressam, per habitum, vel sine habitu. Terminus ergo non pendet immediatè per seipsum ab agente, sed pendet mediante actione. Quomodo autem verum non sit, quod immediatè per seipsum pendeat id quod pendet essentialiter, patet ex dictis tract. 2. quando egi de creatione.

Secunda obiectio.

Obiicitur secundò. Vbi nullum est signum separabilitatis, ibi non est vllum signum distinctionis: sed non habemus signum vllum separabilitatis termini huius ab actione qua producitur: ergo non habemus signum vllum distinctionis.

Respondeo sufficiens esse signum separabilitatis, quia hic terminus omnino idem manens fieri potest ab alio agente; potest enim fieri per aliam speciem impressam, & per alium habitum.

§. II.

Utrum actus vitalis essentialiter includat actionem, & terminum.

Contrauerfia.

Cum ergo ex his duobus certum sit, integrari actum vitalem termino & actione, statim quaeritur, utrum illa duo ingrediantur conceptum essentialem actus vitalis; an verò actio tantum, aut terminus tantum. Censent videlicet multi Recentiores, actum vitalem potentiae cognoscentis & appetentis formaliter consistere in solo termino producto; actionem autem productiuam non ingredi conceptum istum essentialem: ita enim censent Suarez lib. 1. de Trinit. cap. 6. n. 5. Valquez 1. p. disp. 141. cap. 1. & 1.2. disp. 9. Valentia 1.2. disp. 1. q. 8. puncto 3. Vega lib. 6. in Trident. cap. 8. Herice disp. 45. cap. 3. Salas, Granadus, Arriaga. Censent enim esse duo in ipsa intellectione; actionem, quae vocetur dictio; & verbum mentis quod sit intellectio.

Tertia conclusio.

Dico tertio, actum vitalem formaliter includere actionem simul & terminum, aded ut neutrum sine altero sit actus vitalis. Ita docent Molina, Hurtadus, Conimbricenses.

Actio.

Primò, quod terminus actus vitalis sit de formalis eius conceptu, probatur, quia intellectio est quaedam assimilatio potentiae cum obiecto: sed assimilatio includit in suo conceptu formali realem similitudinem: ergo intellectio includit essentialiter & intrinsecè realem similitudinem, seu verbum

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

A mentis. Deinde intellectio versatur immediatè circa obiectum illud cognoscendum; actio sola non versatur immediatè circa obiectum, sed circa terminum: ergo actio sola non est tota intellectio.

Terminus.

Secundò quod actio etiam formaliter includatur in ratione formali actus vitalis, probatur; quia viuere in actu primo est posse realiter & physice agere in seipso: ergo vita in actu secundo, seu actus vitalis necessariò dicit actionem physicam & realem; nam vita in actu secundo non est aliud quam exercitium vitae in actu primo.

Respondent aduersarij actionem quae vita est, esse duplicem; alteram physicam, alteram grammaticalem seu intentionalem: vitam autem in actu primo aliam esse principium agendi in seipso physice, aliam esse principium agendi in seipso intentionaliter; alioqui Deus non esset viuens, qui non agit in seipso physice, sed solum intentionaliter.

Sed contra. Omnis vita physica includit actionem physicam: sed omnis vita intentionalis est necessariò vita physica: ergo vita intentionalis includit actionem physicam. Probatur minor. Potentia cognoscitiua, & appetitiua sunt vita intentionalis: sed illae sunt physice vita: ergo nulla est vita intentionalis, quae non sit physice vita. Probatur minor. Illud est vita physica, quod agit in seipso per veram actionem physicam: sed omnis potentia cognoscitiua creata agit in seipsa per veram actionem physicam; producit enim in seipsa qualitatem, & agere in seipso est formaliter viuere: ergo nulla est potentia cognoscitiua, quae non sit vita physica, provt est cognoscitiua; nam provt est vita physica, non est vita vegetatiua: ergo est vita cognoscitiua. Sicut ergo scribere non dicit solos characteres, nec solum eorum formationem, sed utrumque simul; sic etiam cognoscere dicit expressionem imaginis, & ipsam imaginem expressam.

Obiicitur primò. Sola actio grammaticalis, seu tendentia in obiectum, quae licet actio non sit, explicatur tamen nomine actionis; sufficit ad constituendum hominem verè intelligentem & appetentem: sed solus terminus productus est actio grammaticalis, & tendentia in obiectum, etiam praecisa actione physica: ergo ille solus sufficit ad constituendum actum vitalem. Probatur maior & minor. Illud sufficit ad constituendum actum vitalem, & est tendentia in obiectum, quod constituit Deum vitaliter intelligentem: sola species expressa constituit Deum vitaliter intelligentem: ergo illa sufficit ad constituendum actum vitalem.

Respondeo negando, solam illam qualitatem praecisa actione physica esse actionem grammaticalem & vitalem tendentiam in obiectum; si enim illa praescindatur ab actione physica, est imago purè motiua obiecti, neque debet vocari actio, aut explicari nomine actionis; si enim poneretur à Deo in intellectu, non tenderet intellectus in obiectum. Ad probationem ergo respondeo negando, quod Deus per solam speciem expressam constituatur intelligens; nam in Deo, quamvis non sit actio vlla distincta, reperitur tamen actio & terminus æquivalenter, & ex illis duobus denominatur realiter intelligens. Est igitur in Deo vita intentionalis, & vita physica, non per actionem formalem accidentalem, sed per veram actionem substantialem æquivalentem actionibus creatis.

Nr 2

Obiicitur

Secunda
obiectio.

Obiicitur secundò. Illud solum est tota cognitio, quod solum est tota representatio obiecti: species expressa sola est tota imago & representatio obiecti: ergo illa sola est tota cognitio. Probatur maior. Illud denominat intellectum intelligentem, seu representantem obiectum, per quod obiectum representatur: sed per solam speciem expressam obiectum representatur: ergo intellectus per solam speciem expressam denominatur intelligens.

Tertia ob
iectio.

Respondeo negando primam maiorem; nam illud non est tota cognitio, quod est tota imago obiecti; cognitio enim præter imaginem dicit etiam expressionem illius; sicut scriptio præter characteres, dicit illorum formationem. Ad probationem distinguo maiorem. Per illud redditur intellectus intelligens, seu representans obiectum, per quod obiectum representatur tantum formaliter, nego maiorem; per quod obiectum representatur actuè simul, & formaliter, concedo. Intellectus enim est representatio actiua simul, & formalis.

Obiicitur tertio. Si cognitio includit formaliter actionem: ergo cognoscere est agere: consequens est absurdum, quia si cognoscere est agere, cognosci est agi, & sic obiectum agit dum cognoscitur; & verbum per actionem cognoscitur: quæ omnia sunt falsa. Consequentia est evidens, quia actio tribuit necessariò suum effectum, qui est agere, & agi: cognitio est actio: ergo cognosci est agi.

Quarta
obiectio.

Respondeo verum esse, quod cognoscere est agere terminum intrinsecum, non autem obiectum ipsum; unde cognosci est agi. Verbum mentis representans obiectum, non est agi obiectum ipsum; actio enim tribuit terminum intrinsecum denominationem acti, non denominationem cogniti. Quædam enim verba conveniunt soli termino intrinsecum; nam ille solus producit: quædam soli conveniunt termino extrinsecum, ut cognosci, cogitari; per loquutionem enim non representatur verbum, sed obiectum, sicut victor per actionem qua intrinsecè producit imaginem, denominat obiectum victum; imaginem verò productam intrinsecè.

Obiicitur quarto. In diuinis Pater Aternus intelligit per solam actionem productionem Verbi, non autem per ipsum Verbum, alioqui Spiritus sanctus non intelligeret, quia non producit Verbum: ergo Verbum non est intellectio, sed actio sola productiua Verbi. Deinde vivere est immanenter operari: ergo vita actualis est operatio immanens. Vegetatiua enim viuunt ex eo, quod operantur immanenter; terminus enim vitæ vegetatiuæ non spectat intrinsecè ad actum vitalem.

Respondeo non esse paritatem inter Deum & creaturas; Verbum enim in Deo non est intellectio, quia Deus non producit Verbum ex defectu intellectiois, sed ex eius fecunditate; nam verbum est origine posterius, quàm intellectio. Creatura verò producit Verbum ex defectu intellectiois; ideo verbum in creaturis est ipsa intellectio, saltem partialiter. Cum dicitur quod vivere est immanenter operari, non sola significatur actio cum negatione termini, sed actio simul & terminus, in qualibet vita, etiam vegetatiua.

SECTIO II.

De causa productiua actus vitalis.

Posito quod potentia animæ non sint realiter distinctæ ab anima, ut nuper probatum est, non est difficile statuere de causa per quam immediate actus vitalis producit. Sed in sententia tamen receptissima, quæ potentias animæ distinguit ab anima, grauius controuerti potest, utrum actus vitalis à sola potentia immediate producat; an verò etiam anima immediate ad illum influat. Esse autem necesse ut anima etiam per se influat, satis probatum est eo loco. Et confirmari adhuc etiam potest, quia si anima non concurreret immediate per seipsam ad bonos aut malos actus, anima ipsa non esset digna odio aut amore, pena vel premio, vituperio vel laude; nemo enim illa omnia meretur nisi ob id quod ipse fecit, & ob id quod potest impedire: si autem solæ agunt potentia, anima ipsa non facit bonum aut malum opus, neque illud potest impedire: sicut si calor esset liber ad calefaciendum, aut non calefaciendum, nemo vituperandum esse putaret ipsum ignem, si calor non calefaceret; sicut etiam peccatum filij nunquam tribuitur patri, qui non potuit illud impedire. Et sanè si diuinitus anima separata esset à suis potentiis, illæ autem peccarent, certè voluntas sola rea esset, non autem anima: sed quando anima est coniuncta suis potentiis non magis influat immediate quàm si esset separata: ergo non magis est laudabilis vel vituperabilis. Deinde non est facile dicere quomodo sola sympathia & radiatio potentiarum in eadem anima sufficiat ut intellectu aut imaginatione aliquid cognoscere in ipso capite, appetitus qui est in corde statim exardescat, ut vulnerato pede statim sensus communis id percipiat, & appetitus ob id doleat, illa enim sympathia, tamen negari non potest, tamen si anima nihil prorsus percipit aut sentit, videtur incredibilis. Neque retorqueri potest argumentum pro animabus brutorum, quæ sunt diuisibiles, & tamen vulnerato equi pede, statim totum animal sentit & dolet; nam tamen partes illæ diuersæ sunt, componunt tamen eandem animam & vnitæ sunt; ideoque mirum non est, quod inter eas talis sympathia reperiatur, ut vna parte læsa, pars altera eiusdem animæ id percipiat.

Posito ergo quod causa naturaliter productiua cuiuslibet actus vitalis, non sit nisi anima, cuius potentia non sunt realiter aliud ab ipsa, merito queritur, utrum per diuinam potentiam actus vitalis effici possit ab alio quàm à potentia vitali; v. g. utrum mea intellectio effici possit à Deo solo, & poni vel in meo intellectu, vel in lapide.

In qua difficultate apud omnes Doctores, tum Philosophos, tum Theologos celeberrima tria video queri posse. Primò utrum actus vitalis sumptus formaliter, v. g. visio, vel intellectio, produci possit à Deo solo in aliquo subiecto quod diceretur videre aut intelligere. Secundò utrum produci possit à solo Deo terminus actus vitalis, & poni vel in proprio subiecto, vel in extraneo. Tertio utrum illud subiectum, in quo esset positus ille terminus, esset reuerà intelligens, aut videns.

Dico primò, actum vitalem sumptum formali-

ter ut vitalis est, non posse vlla ratione produci à Deo solo, sed necessarium prorsus esse ut potentia vitalis ad eum effectiue influat.

Ratio est, quia actus vitalis, ut vitalis est formaliter, ille dicitur, qui producit immanenter in eo principio à quo fit: sed si producat effectiue à solo Deo, non manebit in eo principio à quo erit; fiet enim à Deo, & producat in intellectu, vel in lapide: ergo actus vitalis, formaliter ut vitalis, produci non potest à solo Deo.

Dico secundò, terminum cuiuscunque actus vitalis posse mortuo modo fieri à solo Deo; tum in proprio subiecto, tum in quocunque alio extraneo. Ita docent cum Scoto, Durando, Ochamo, Suarez *disput. 48. sect. 2. num. 12.* & sæpe alibi, Lessius *lib. 1. de summo bono, num. 40.* contra Valquem *prima secunda, disput. 9. cap. 4.* & plures alios.

Ratio est, quia dupliciter considerari potest terminus actus vitalis, v. g. verbum mentis: primò solitariè ac præcisè, abstrahendo ab actione, per quam potentia vitalis illud producit; & sic est mortua qualitas & imago solum obiecti, qualis esset imago picta; nec est tendentia in obiectum, vel actio grammaticalis, sed qualitas purè mortua: secundò considerari potest verbum mentis cum actione, qua pendet à potentia vitali operante immanenter, & sic non est solum imago mortua obiecti, sed est vitalis representatio & tendentia ipsius anime in obiectum, & vera intellectio. Certum est actionem illam, quæ verbum mentis producit ab intellectu, essentialiter pendere ab intellectu, neque fieri posse à Deo solo, quia actio necessariò mutatur mutato agente, cum sit dependentia ab hoc agente.

Quod autem verbum ipsum essentialiter pendeat ab intellectu, nulla sufficiens ratio probat, neque vlla potest afferri contradictio, quæ ostendat illud non posse fieri à Deo, sicut potest produci calor.

Deinde sic probatur. Omnis effectus realis, qui non est modus, & est distinctus ab actione quæ fit, potest separari à subiecto suo, & produci à solo Deo in quolibet subiecto, qui potest solus facere totum quod facere potest cum causis secundis: terminus iste actionum vitalium est realiter distinctus à potentia & ab actione, quæ fit, ut probavi: ergo ille fieri potest à Deo in quolibet subiecto. Probatur maior. Tota ratio cur dicatur calorem produci posse à solo Deo, est quia ille non est modus, & distinguitur ab actione, quæ fit: ergo cuiusvis modus realis distinctus ab actione quæ fit, si non sit modus, fieri poterit à solo Deo in quocunque subiecto. Quod vltimum addo propter quosdam Theologos, qui fatentur posse à Deo solo produci Verbum mentis in intellectu; negant produci posse in lapide, vel alio subiecto extraneo; quia, inquiunt, redderet illud intelligens: sed hoc non sequitur, ut diceret statim. Et sanè si verbum mentis productum à solo Deo, est qualitas purè mortua, non video cur Deus mortuo modo possit producere illud in intellectu & non possit producere illud in quolibet alio subiecto.

Dico tertio. Verbum mentis à Deo solo productum in lapide, vel etiam in intellectu, nullo modo faceret intellectum intelligentem. Contra Valentiam, Herice, Granadum, qui ex eo quod sentiant intellectiorem totam in solo consistere verbo mentis, docent etiam intellectum constitui posse intelligentem per verbum mentis, quod

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

A Deus in eo poneret sine vllò influxu effectiue intellectus.

Ratio tamen primò est, quia ut patet ex prima sectione, actus vitalis formaliter duo includit, qualitatem physicam, & actionem immanenter productam à principio in quo est; si enim desit istud vltimum, non est vita, quæ actio est immanens: ergo si verbum mentis ponatur à Deo solo transeuntem operante in intellectu, intellectus non erit viuens per illam qualitatem: sed omnis intellectio est essentialiter vita: ergo illud verbum mentis productum à Deo solo non erit intellectio, neque per illud reddetur intellectus actu intelligens. Deinde, si poni potest in intellectu nihil actu operante verbum hoc mentis, poterit etiam poni extra intellectum in lapide, ut ostendit: ergo lapis reddi poterit intelligens, videns, amans. Similiter poterit oculus audire, auris videre, gustare, olfacere, si Deus ponat in iis speciem expressam illorum sensuum. Imò voluntas intelliget, amabit intellectus, & alia huiusmodi fient plurima, quæ abhorrent à communi sensu Theologorum. Denique sequeretur voluntatem ferri posse in incognitum & illud amare, si Deus infundat illi qualitatem quæ amore producit. Sequeretur amorem non esse voluntarium essentialiter; imò materiam ipsam primam videre, audire, amare, quia illi vnitur visio, auditio; amor: videre autem, iuxta sententiam quam impugno, non aliud est quàm vniri speciei expressæ.

C Itaque tria in visione spectari possunt. Primò species ipsa expressa obiecti: secundò ipsius productio, seu processio, & assidua dependentia à potentia visiva: tertio eius receptio in eadem potentia. Species illa expressa est vera qualitas, quæ ut sit actus vitalis, constituatque animam viuentem, & videntem, duo exigit. Primò ut procedat à tali potentia vitali tanquam eius germen; v. g. ab oculo, non ab aure; ab intellectu, non à voluntate. Secundò ut in illa recipiatur; vita enim non potest esse aliquid extrinsecum viuenti, sed dicitur habitudinem effectus & formæ. Igitur videre non est illa imagine informari, sed est informari vitaliter, idest cum productione ac processione illius ex intimis quasi visceribus.

D Ex quibus solui etiam multæ possunt Theologicæ quæstiones. Primò quod oculus corporeus videre non possit Deum; quia nimirum videre Deum est intelligere; oculus autem sicut non potest amare, sic neque potest intelligere. Secundò quod intellectus creatus non constituitur beatus & videns Deum per visionem increatam ipsius Dei, imò etiam quod ad visionem beatam ipse concurrat intellectus; non autem passivè solum se habeat. Idem dico de actibus omnibus meritoriis, ad quos potentia effectiue influat, alioquin non esset illud exercitium vitale, nec vera cognitio & amor. Denique quod

E Christi humanitas sanctissima non est intelligens aut volens per intellectiorem aut volitionem diuinam, cui non vnitur nisi mediante substantia diuina. Fundantur enim hæc omnia in eo, quod actus vitalis debet procedere ab eo principio proportionaro, in quo recipitur.

Obiicitur primò. Implicat esse in subiecto aliquam formam, & non illi communicare suum effectum formalem: termini actionum vitalium cognoscitiuarum sunt veræ formæ;

N n 3 ergo

Probatio.

Corollaria theologica.

Prima obiectio.

ergo illi non possunt esse in subiecto, & illi non communicare suum effectum formalem: sed si producerentur illi termini à solo Deo, essent in subiecto cui non communicarent suum effectum formalem: ergo illi termini produci non possunt à solo Deo. Probo assumptum. Effectus formalis termini visionis est reddere suum subiectum videns: sed si Deus produceret terminum visionis in aliquo subiecto, non redderet illud videns: ergo non communicaret subiecto suum effectum formalem.

Respondeo terminum actus vitalis posse considerari vel præcisè secundum se, vel cum actione procedente à potentia vitali. Si consideretur hoc posteriore modo, effectus eius formalis est reddere subiectum, in quo est, intelligens, videns, &c. si autem solus consideretur præcisè absque tali actione, effectus eius formalis non est reddere subiectum videns, aut intelligens, sed reddere subiectum habens mortuam similitudinem obiecti. Semper ergo concedendum est, non posse formam esse in subiecto, quin communicet ei effectum formalem: sed negatur effectum formalem termini intellectus præcisè sumpti esse reddere subiectum intelligens; hic enim est effectus formalis termini huius & actionis procedentis à principio proportionato, in quo producit.

Secunda
obiectio.

Obiicitur secundò. Illud reddit intellectum intelligentem formaliter, quod formaliter intellectui representat obiectum: sola qualitas, v.g. species expressa, representat formaliter obiectum intellectui; nam illa est imago formalis: ergo illa sola reddit intellectum intelligentem.

Respondeo distinguendo maiorem. Illud reddit intellectum formaliter intelligentem, quod intellectui representat obiectum mortuo modo, nego; quod representat vitaliter, concedo. Intellectio enim non est quæcunque imago, sed est imago viva, per quam intellectus attendit obiectum, & in illud tendit. Species expressa solitarie sumpta non representat intellectui vitaliter obiectum, sed mortuo modo; non enim per eam simpliciter sumptam intellectus attendit ad obiectum, nisi ei accedat actio, per quam illa imago pendeat à potentia vitali, & in illa maneat.

Tertia ob-
iectio.

Obiicitur terriò. Si hæc qualitas à solo Deo producta non conferret intellectui suum effectum formalem, & non constitueret illum intelligentem, id fieret ex defectu actionis: sed actio non requiritur ut qualitas illa conferat suum effectum formalem; nam aliæ omnes formæ physice non indigent consortio actionis, ut consensant suum effectum formalem subiecto; albedo v. g. sola facit album, seclusa dealbatione: ergo verbum mentis se solo facit intellectum intelligentem. Deinde argumentor. Ut verbum mentis constituat intellectum intelligentem, nihil requiritur præter actionem productam à potentia vitali: sed Deus producit hanc qualitatem per actionem eiusdem omnino speciei & rationis; nam actio specificatur à termino: ergo illa qualitas facit intellectum intelligentem. Vbi enim omnia sunt eiusdem rationis, effectus formalis esse debet eiusdem rationis; sed hæc omnia sunt eiusdem rationis, actio scilicet & terminus: ergo effectus esse debet eiusdem rationis.

Respondeo effectum formalem huius qualitatis duplicem posse considerari. Primus est proprius, nimirum forma in subiecto, & ad illum conferendum non eget consortio actionis: alter est quasi communis actioni & termino, & ut hunc conse-

rat, indiget consortio actionis. Concedo igitur nullam esse formam quæ requirat consortium actionis ut conferat subiecto effectum formalem sibi soli proprium, sed exigit consortium actionis ut conferat subiecto effectum formalem communem termino & actioni. Huiusmodi est verbum mentis.

Deinde distinguo illam minorem. Deus produceret hunc terminum per actionem eiusdem speciei essentialis, concedo; per actionem eiusdem speciei accidentalis, nego. Actio enim, quæ fieret verbum mentis à solo Deo, esset eiusdem speciei essentialis cum ea, quæ producitur à potentia vitali; quia essentialiter actio specificatur à termino: sed actio speciem accidentalem non sumit à solo termino, cum ab eo solo non denominatur; sed accipit etiam ab agente, quod est principium vite coniunctum. Differunt igitur actiones illæ ambæ accidentaliter, quia una extrinsecè denominaretur vitalis ex eo quod esset immanens; altera denominaretur non vitalis, quia esset transiens: unde sequitur, quod vitalitas in actione denominatio est extrinsecè, ideòque falsum est, quod omnia in utroque casu eiusdem sunt rationis.

QVÆSTIO V.

C De corpore organico, quod anima informat.

NON potest satis intelligi quid sit, & quas proprietates habeat anima, nisi explicetur corpus ad quod informandum tota ordinatur; animat videlicet illud ut vite socium, consecrat ut templum, illustrat ut cælum. Cum hoc socio sola regnat, dedicat se ipsam in hoc templo, radat in hoc cælo; regnum enim animæ corpus est, in quo vniuersitatem quandam omnium bonorum natura descripsit, mundumque multiplicem in unico veluti puncto dedit. Templum est, in quo & donarium, & lampas & aditua, imò & tantum non Dea ipsa est anima. Cælum est, in quo tot sunt astræ, quot membra, motus varij & continui, etiam dum quiescere videtur, nisi quod & lux eius pulchrior est, & aspectus amcenior, & influxus suauior. Suspexerunt miracula illa iam sapientis & accuratè Melitius & Nemesius in libris de homine, Theodoretus orat. 3. de prouidentia, Basilias homilia 11. in hexameron, Ambrosius lib. 6. eiusdem. 9. & lib. de Noë. c. 6. & 7. Cæsarius Dialogo 1. Nyssenus de officio hominis c. 30. Chrysostomus homilia 11. ad populum, Philo lib. de plantatione Noë, & alij plures præter Hippocratem & Galenum. Mihi satis est pro instituta breuitate ita dicere: primò qualis sit structura humani corporis: secundò quænam eius partes informetur animâ, seu de illis partibus comparatis cum animâ: terriò de illis inter se comparatis.

SECTIO I.

Humani corporis structura & delineatio.

IN hoc igitur pulcherrimo reginæ animæ domicilio, acce rationis, vite ærario, vehiculo sapientiæ, humano inquam corpore, duo sunt partium genera: quedam dicuntur similes, quæ videlicet sunt sui vndique similes sensus æstimatione: quædam

Quaest. V. Sect. I. de Corpore organico. 427

dam dicantur dissimilares, quæ componuntur ex simplicibus. De utrisque mihi pauca ponenda sunt.

§. I.

Quanam sint humani corporis partes similes.

E sunt undecim, ossa, nervi, musculi, cartilagine, tendones, venæ, arteriæ, caro, adeps, cutis & membranæ. In singulis sunt novem obferuanda: mihi duo videntur sufficere, structura & usus.

Ossa sunt partes similes totius animalis, scilicet ac frigidissimæ, genita ex feminis crassamento, ad totius animalis figuram, stabilitatem, rectitudinem. Tres singulorum fore ossium partes sunt. Prima est media pars ossis, cæteris maior, durior & crassior. Secunda est *epiphysis*, seu adnascencia, estque os toti ossi annexum, separabile ab ossis reliquo: in ossibus medullofis est vice operculi, ne medulla effluat; ex hac oriuntur ligamenta, eo quod sit mollior; non est in omnibus hæc epiphysis; in quibusdam est etiam multiplex. Tertia pars ossis dicitur *apophysis*, seu protuberantia, & eminentia quædam in extrema parte ossis, in eam finem ut ligamenta ossium probe inserantur, & cohereant, & sint instar propugnaculi aliis partibus.

Ossium differentia. Variæ omnino sunt, & mirabiles ossium differentia, quæ petuntur primo ex magnitudine, cum alia sint maxima, alia parua, quædam mediana: secundo ex figura; quædam enim sunt plana, quædam rotunda, quædam trilatera vel quadrilatera; quædam scaphæ, malleoli, cubi, incudis, stapedis similitudinem referunt. Quædam solida sunt, alia concava, & medullofa, alia plena foraminibus instar spongiæ. Tercio à duritie, quarto à motu, quinto à sensu. Numerus ossium variè assignatur à Doctoribus: alij ducenta esse volunt, alij ducenta quadraginta octo; alij trecenta in capite, trunco, & artubus. Denique coniuncturæ ossium reuocantur ad duo capita. Primum est articulatio, in qua duo extrema ossium contigua tantum sunt, non continua; & hæc iterum est multiplex. Secundum est symphysis, in qua duo extrema ossium continua sunt, vel sine medio, vel cum aliquo medio, nervo, scilicet, carne, cartilagine. Quorum omnium artem elegantissimam pulchre mirantur & explicant Augustinus *lib. 22. ciuitatis*, cap. 24. Basilii Seleucia *orat. 1. Nyssenus lib. de opificio hominis*.

Ossium numerus. Connexa ossibus sunt cartilagine, ligamenta, villi, membranæ, tendones, & musculi. Cartilago est pars similis, frigida & sicca, ex crassa feminis parte, quæ caloris vi concreuit, genita, ad motuum varietatem, & securitatem, & ad externos impetus retundendos. Quibus verbis quatuor explicantur causæ cartilaginum. Aliæ sunt in capite, alia in trunco, alia in extremitatibus, omnes incredibili artificio & varietate contextæ. Differunt inter se vel in substantia; nam alia sunt duræ, ut larinæ; alia mediocres, ut epiglottis; alia molles, quibus colligantur articuli: vel in figura, vnde alia vocatur annularis, ensiculata, scutiformis: vel in connexionem; nam alia ossibus adnascuntur, alia solitaria sunt, & illæ omnes diuersimodè connectuntur. Iuuant motus ossium, contusionem & luxationem molliter cedendo impediunt.

Cartilagine. Villi partes sunt frigida ac sicca, albæ, solida, oblongæ instar filamentorum, ad motum & carnis custodiam destinata. Præcipuum videlicet motuum omnium instrumentum sunt villi, quia tunc musculi, & reliquæ omnes partes mouentur, cum distendantur, aut contrahuntur villi ex quibus constant. Varietas eorum est incredibilis, quia toto corpore sparsi sunt, & ex illis alij sunt recti, alij obliqui, alij transversii, alij duriores, alij molliores.

A Ligamentum pars est frigida & sicca, media inter nervum & cartilaginem naturam obtinens, varios in colligando, continendo, tegendo, & musculis constituendis usus præstans. Toto videlicet corpore illa inspersa sunt, in eum præsertim usum, ut ossium & cartilaginum articulationes præsertim laxiores firmet & deuinciant; atque ut instar indumenti extrinsecus apponantur ad tendinum tutelam. Viscera suspendunt, tendines suis continent locis, impediunt ne ossis durities tendini noceat, quia strata sunt inter os & tendinem.

B Villi partes sunt frigida ac sicca, albæ, solida, oblongæ instar filamentorum, ad motum & carnis custodiam destinata. Præcipuum videlicet motuum omnium instrumentum sunt villi, quia tunc musculi, & reliquæ omnes partes mouentur, cum distendantur, aut contrahuntur villi ex quibus constant. Varietas eorum est incredibilis, quia toto corpore sparsi sunt, & ex illis alij sunt recti, alij obliqui, alij transversii, alij duriores, alij molliores.

C Membrana pars est frigida & sicca, lata, tenuis, densa, partes subiectas custodiens, colligans, determinans. Aliæ sunt legitimæ, alia illegitimæ, quæ corpora sunt potius membranosa. Legitimæ alia villos habent, alia villis carent, & sunt diuiduæ, ut papyri; alia tenuissima sunt, alia crassiores. Numerus earum iniri vix potest. Aliæ sunt fœtus, alia editi animalis membranæ. Fœtus sunt chorion, quæ aut fœtum continet aut circuli & coronæ instar ambit. Amnios receptaculum est sudoris, allantoïdes receptaculum vrinae. Editi animalis membranæ alia sunt vniuersales, quæ aut totum corpus tegunt, ut cutis, & panniculus carnosus; aut inuoluunt omnes partes eiusdem generis, ut omnia ossa tegit à capite ad pedes periostron, musculos omnes membrana communis musculorum. Aliæ sunt particulares; sic enim cerebrum velant meninges duæ, vna crassa, tenuis altera, quæ velat etiam totam spinam dorsii, & omnes nervos. In thorace grandis membrana costis subtenitur, totamque partem mediam continet. In inferiori ventre peritoneum viscera omnia ut saccis inclusa tenet.

D Tendo pars est dissimilis, constans ex nervis, villis, & ligamentis, quæ sparsa per carnes, in vnam veluti chordam coeunt, ut per eam musculi motum edat; constat enim ex tribus illis partibus, & est præcipuum instrumentum. Confundunt cum aliqui cum ligamento, alij distinguunt cum Galeno & Medicis, quia tendo sensilis est, ligamentum insensile. Et sanè ligamenta similes partes sunt; tendo est pars dissimilis, constans, ut dixi, ex nervis, villis, ligamentis, & carne.

E Musculus est pars dissimilis, contexta ex nervis, tendonibus, venis, arteriis, carne ac tunica propria, ut sit præcipuum voluntarij motus organum. Breuius describitur à Galeno, *Corpus nervosum carne permixtum*. Quatuor ergo sunt partes similes in quolibet musculo, nervus, ligamentum, villi, caro fibrosa, quæ præcipuum est voluntarij motus organum. Musculi autem mouentur quadrupliciter; vel enim contrahuntur, vel extenduntur, vel transferuntur, vel tensi manent. Numerus musculorum non est omnino certus, sed communiter tamen existimantur quadringenti quinque.

Vena est vas oblongum, rotundum, fistulæ modo excavatum, simplici tunica constans, omni villorum genere intertexta, dicatum continendo, distinguendo

Quenam sint corporis partes dissimiles.

EX iis igitur partibus veluti cæmentis quibusdam confurgit præstantissima illa moles constans ex multis partibus dissimilibus, quæ sunt omnes dignitate pares, si artificis ingenium spectes; vsu mirabiles, si spectes necessitatem; nihil enim est in membris vel abundans in tanta copia, vel dissonum in tanta varietate, vel æquale in tanta similitudine. Diuiditur ab Hippocrate in principales quatuor partes, caput, thoracem, & artus.

Quid sine capite est homo, inquit Ambrosius *lib. 6. hexameron, cap. 9.* cum totus in capite sit. Princeps videlicet in homine membrum & caput, ut dissert mirabiliter eo loco mellitus doctor Cassiodorus *lib. de anima, cap. 15.* qui caput appellat animæ tribunal, Lactantius *lib. de opificio hominis, cap. 10.* totius diuini operis culmen, Plato in *2. parte Timæi*, membrum diuinissimum, cui totum corpus connexum Deus parere iussit. Plinius *lib. 11. cap. 37.* arcem sensuum. Considerari possunt in eo figura, magnitudo, & diuersæ partes.

Capitis figura sphaerica est, non tamen ad figuram amissam circularis; paulatim enim circa tempora comprimitur, estque oblongum, ita ut anteriorem, posterioremque partem prominentiorem habeat. Posterior pars capaciore est, quoniam vertebra dorsæ, & spinalis medulla latitudinem efficiunt paulò ampliorem, ut collo velut in æquilíbrio infideat.

Magnitudo capitis varia est, sed homini, quàm cæteris animantibus, multò maior; quia moles cerebri amplior est. Paruum caput semper in vitio est, indicium scilicet præcipitis & temerarij ingenij, ob spirituum paucitatem, qui angusto coacti spatio, incallescunt sine modo, nec libere expandantur.

Diuiditur vulgò in duas partes; anteriorem, quæ dicitur facies; posteriorem, quæ dicitur calvaria. Partes calvariæ sunt antica, postica, media, & laterales, quæ dicuntur tempora, eo quod ænitie annos prodant ætatis. Rursum calvaria partes aliæ sunt continentes, aliæ contentæ.

Partes continentes, quædam communes sunt, quædam propriæ. Communes sunt pili, cutis, panniculus carnosus, venæ, arteriæ, musculi. Propriæ, pericranium, cranium, meninges dæ, cerebrum, cerebellum. In quibus enucleatè describendis non vacat morari. De cerebri tota conformatione dicam agens de sensu communi.

Vultum à voluntate dictum esse notat Cassiodorus *lib. de anima, cap. 16.* quia speculum est animæ, idè soli homini data facies est, cæteris os aut rostra, ut notat Plinius. Diuiditur in partem superiorem & inferiorem; superior continet frontem & supercilia. In parte inferiori sunt quatuor sensuum sedes, oculi, aures, nares, & lingua, de quibus dicam explicans sensuum actus proprios, & organa. Deinde maxilla, genæ, mentum, in quibus pauca sunt scitu digna.

Thorax appellatur pars illa corporis, quæ à ingulis extenditur ad diaphragma, à superiore parte clauiculis, inferiore diaphragmate, anteriore sterno, posteriore vertebra dorsæ, dextra & sinistra duodecim costis circumferitur. Figura eius rotunda est, sed oblongior, nec exquisitè globosa, antica

tribuendo & coquendo sanguini. Vbi habes figuram, materiam, & officium venarum, intra quas certum est sanguinem nunquam concreescere, etiam mortuo animali. Innumera illa sunt, sed ad quinque tamen capita reuocari solent; imò ad venam cauam & venam portam; quæ duo sunt corporis veluti flumina, & fontes totius vitæ. Diuiditur vena vtrique in propages innumeras, quarum descriptio longa esset, & à nostro aliena instituta.

Arteria. Arteria est vas rotundum, oblongum, fistulæ odo excavatum, duplici tunica fibræ intertextæ constans, deducendis spiritibus, & temperando, ac reficiendo singularum partium calori dicatum. Generatim dici potest tot esse arterias, quot sunt venæ; sed pressius tamen tres assignari solent arteriæ: magna arteria, arteria venosa, vena arteriosa; quarum ramos & propages longum esset describere.

Nerui. Nervus pars est spermatica à cerebro, aut spinali medulla exorta, interiore parte medullaris, exteriori membrana, spiritus animalis delator ad sensum & motum. Vbi habetur neruorum ortus, substantia, & officium: per neruos enim omnis perficitur motus, & sensatio; vnde in illis omnis præsertim residet voluptas, & dolor. Commode diuiduntur in eos qui prodeunt à cerebro, & in eos qui prodeunt à spina dorsæ. A medulla cerebri cranio adhuc inclusa septem oriuntur paria, seu coniugationes; optica prima, oculos mouet altera, tertia gustum, quartaque; quinta audit, vaga sexta est, septima lingua. Adde olfactum, vnde nouem aliqui paria faciunt. A medulla eiusdem cerebri magnum occipitij foramen egressa, & in vertebra delata nascuntur triginta neruorum paria, nempe cervicis septem, thoracis seu dorsæ duodecim, lumborum quinque, ossis sacri sex, à quibus oriuntur nerui artuum.

Caro. Caro est mollis substantia, rubicunda ex sanguine mediocriter resiccato genita. Quatuor dicuntur à Galeno esse genera carniū propriè dicta; illa scilicet quam descripsi, caro viscerum,

Adeps. caro cuiuslibet parti propria, caro glandulosa. Carni annexa sunt primò adeps, pars videlicet oleosior & magis aërea sanguinis, quæ roris instar exsudat à venis, & ad membranas præsertim allabatur. Oritur ille non ex frigore, sed ex calore magis remisso, qui habetur pro frigore: secundò

Panniculus. panniculus carnosus, membrana nimirum crassissima, vniuersum corpus à capite ad pedes regens: illa in homine carnosior non est, sed tota neruea & membrana, habetque interiectum adipem; in brutis autem cuti proximè adhæret, ideoque quadrupedum cutis sponte mouetur: in homine immobilis est, quia membrana hæc distat à cute, firmiterque villis annexa est, excepta facie, in qua membrana hæc carnosior est, & ita cuti carnis suis fibræ adhæret, ut ab ea separari vix possit, vocaturque latus musculus, idè in homine solius faciei cutis mouetur. Tertio cutis & cuticula. Cutis, seu derma, membrana est omnium capacissima & crassissima, ex seminis & sanguinis permixtione genita, subiectarum partium munimentum; semel deperdita nunquam reparatur, exquisitissimum habet sensum. Cuticula seu epidermis, est tenuissima cutis efflorescentia, insensibilis & exsanguis.

Cutis vtraque.

Quæst. V. Sect. II. de Corpore organico. 429

antîcâ & posticâ parte latior, quàm in cæteris animalibus, quæ dorsum habent & pectus carinatum. Situs est inter supremam & infimam regionem, ut ab eo in omnes partes viuificus calor diffundatur. Partes aliæ sunt continentes, aliæ contentæ. Continentes propriæ, aliæ molles sunt & carneæ; aliæ ossæ & cartilagineæ, quæ medium locum occupant; aliæ membranose. Carneæ sunt mammae & musculi, præsertim respiratorij. Partes ossæ aut sunt anticæ, aut posticæ, aut laterales. Anterior pars dicitur sternum, seu pectus; posterior dorsum: latera *πλευρά*, siue costæ. Membranose partes sunt *πλευρά* & mediastinum. Partes contentæ sunt cor, pulmones, venæ, arteriæ, nervus sextæ coniugationis, & oesophagus, quibus sub sternitur diaphragma. Quæ omnia describunt accuratè Medici. Ego dicam de his quantum satis erit, explicans instrumenta nutritionis, respirationis & vocis.

**Venerim-
seior.** Thoraci substratus est venter inferior, cuius partes aliæ sunt continentes, aliæ contentæ: continentes peritoneum & musculi. Contentarum coctioni aliæ, aliæ generationi deseruiunt. Nutritioni seruiunt ventriculus, omentum, intestina, mesenterium, hepatis, vesicula fellea, lien, renes, venter & vesica, ut patebit ex secunda disputatione, ubi explicabitur nutritio & inservientia ipsi organa.

**Manus &
pedes.** Artus vocantur membra ex trunco enascentia: alij ex his superiores sunt, & vocantur manus, quæ à summo humero usque ad extremos articulos extenduntur: alij inferiores vocantur pedes à coxendicis articulo ad summum digitorum apices. Manus præstantiam pulchrè describit Theophrastus *serm. 4. de providentia*: ego libenter vocauerim linguam absentium, memoriam memorie, cuius omnia sunt opera ut magistra, omnia miracula ut dominæ, omnia obsequia ut ancillæ. Diuiditur manus in humerum, cubitum & extremitatem manum. Pedum partes sunt tres, femur, tibia, pes extremus.

SECTIO II.

De partibus corporis prout comparatis cum anima.

Dixi obiter partes omnes, ex quibus constat humanum corpus: nunc quæritur quænam ex illis partibus animata sint, quænam inanimata.

Certum autem est, quod informantur animâ, & verè viuunt cor, cerebrum, stomachus, pulmones, lien, renes, caro, cutis, membranæ, cartilaginee, ligamenta, tendones, fibræ, venæ, arteriæ, nervi; quia in illis operationes sunt vitales, nutritio & augmentatio; imò & sensus: quod idem rectè asserit Ariaga de plumis auium, quia illæ crescunt in omnem partem. Difficultas igitur primò esse potest de humoribus, præsertim de sanguine: secundò de capillis & vnguibus: tertio de ossibus.

S. I.

Verum sanguis & reliqui humores sint animati.

Idest vitum animam habeant sanguis, pituita, flaua & atra bilis, quibus adiungo medullam ossium, adipem, semen & lac.

Côclusio. Dico primò, sanguinem & humores illi adiunctos, pituitam scilicet, & utramque bilem, esse proflus inanimatos. Ita docent cum Galeno S. Thoma, & Scotus Suarez, Valques, Aueris, contra

A Caietanum, Medinam, Conradum, Hurtadum, Arriagam.

Obserua primò, sanguinem rectè definiri, *Est humor temperatè humidus, & calidus, naturæ amississimus.* Primò enim temperies humida est & calida, quia fit ex alimenti substantia magis ærea, pingui, & modicè calida; sicut pituita fit ex aquea, bilis ex ignea, melancolia ex terrea. Deinde intenso calore aduritur sanguis, remisso fit crudior, modico conseruatur. Secundò color sanguinis est rubeus, qui oritur ex opacitate terræ iuncta elementorum aliorum perspicuitati, & concoctioni, ex quorum defectu reliqui humores alterius sunt coloris: sapor dulcis est, odor nullus. Tertio locus proprius & primarius, in quo sanguis gignitur, est iecur, cui soli primaria vis inest sanguificandi, & ab eo communicatur venis vicinioribus, quæ habent etiam vim coquendi. Venæ autem mesenterij vim habent præparandi, ut nimirum cum minori virium dispendio iecur suum munus obeat; videmus enim rubescere pituitam in venis hepatis vicinis, & chyum in mesentericis. Cur autem sanguis extra venas statim concresecat, non concresecat autem intra venas, disputat Fernelius *lib. 6. cap. 7.* neque verò tribui potest nisi insitæ venarum facultati, quæ sanguinem etiam in cadaveribus semper fluidum seruant, extra venas autem statim coagulantur, propter admixtas innumeras fibras, quæ percipi sensu minime possunt, nisi sanguis calens per linteum transfundatur.

C Obserua secundò, præter sanguinem tres præterea esse humores in corpore, distinctæ ab eo speciei, qui tamen cum ipso sanguine generantur in hepate. Primò enim varietatem quatuor humorum explicat Fernelius *lib. 6. cap. 3.* exemplo recentis musti, in quo est aliquid igneum sursum innatans, quod appellatur flos vini, seu spuma. In fundo sæx est, crassa quadam & terrestris materia. Nondum tamen suauis vinum est, sed adhuc austerum & acerbum propter incocti humoris permixtionem, qui tandem pervincitur, & vinum maturum redditur plenum caloris, & roboris. Idem etiam ostenditur ex quatuor morborum generibus, quæ communiter Medici agnoscunt oriri ex excessu singulorum humorum. Itaque in sanguine concreto, quod albicat, pituita est; quod flauum omnibus supereminet, colera; quod nigricans residet in fundo, melancolia: humor aqueus illis permixtus est serum. Secundò quod humores illi distinctæ sint speciei à sanguine, constat ex diuersitate temperamentorum; pituita enim liquida est substantia, frigida & humida, naturaliter insipida: nullam quidem propriam sedem habet, sed cum sanguine iuncta est, tamen creditur residere in cerebro, propter temperiem eius frigidam, & humidam: & in ventriculo propter cruditates ciborum. Flaua bilis sicca est & calida, sapore amaro propter coctionem nimiam, colore rubeo & splendido, ac quodammodo flavescente; sed interdum tamen propter ferrosam humiditatem admixtam lutea euadit & pallida, aliquando cerulea & æruginea. Melancolia frigida est, sicca, crassa, grauis & terrea, sæx ipsius sanguinis, colore nigro, sapore acetbo & acido: valet ad excitandam acrimoniam suâ famem dum pungit ventriculum, & ad confortandam facultatem retentricem siccitate suâ & frigore.

E Ratio cur humores illi omnes sint inanimati, est primò, quia nulla pars viuens informatur animâ, quæ non continuatur cum aliis partibus eiusdem viuens, quæ pro certo sunt animata; si enim anima informaret materias discontinuas, separaretur

Sanguinis natura.

Tres humores.

à se ipsa, neque dici posset vna, cum esset in materiis discontinuis: sanguis & humores non continuantur cum venis, sed in illis resident tanquam in vasis: neque magis adhæret illis, quam vinum do-lio, in quo continetur; aperto enim aditu æqualiter effluit utrumque. Deinde per venas deriuatur sanguis, sicut aqua per sulcos in olera deriuari solet: nemo autem dixerit, aquam continuari cum terra & oleribus: ergo sanguis & humores non uiuunt.

Deinde id quod est alimentum viuientis, non est viuens informatum anima illius, cuius est alimentum: sanguis est proximum alimentum viuientis, quod nimirum conuertitur immediatè in viuens: ergo sanguis non est viuens. Probat maior. Omnis conuersio substantialis supponit differentiam essentialem termini à quo, & termini ad quem: nutritio est conuersio substantialis, vt fatentur omnes Philosophi: ergo nutritio supponit differentiam inter alimentum & viuens.

Denique in sanguine non apparet vlla operatio vitalis vegetatiua, vel sensitiua, cum non crescat, neque nutriatur per operationem magis quam aqua, vel alius quilibet liquor: ergo sanguis non uiuit. Eademque ratio probat spiritus, tum vitales, tum animales esse inanimatos; quia scilicet continuitatem non habent cum partibus solidis; neque vlllos habent actus vitales, cum non crescant, neque nutrantur. Dicam autem de illorum motu sequenti disputatione.

Prima obiectio.

Obiicitur primò, sanguinem esse veram partem hominis, & pertinere ad veram illius constitutionem. Patet ex Innocentio III. in *Extraneis de celebratione Missæ*, ubi docet pertinere quatuor humores ad ea quæ proximè hominem constituunt. Sed quod est pars hominis constitutiua, est animatum: ergo sanguis est animatus. Confirmatur, quia homo sine sanguine mutilus esset: ergo sanguis est pars hominis.

Respondeo, duo esse in homine genera partium. Primum genus earum est, quæ component hominis corpus; illæ necessariò sunt viuentes: huiusmodi sunt caro, nerui, &c. secundum genus est earum, quæ non component hominem, sed necessariæ tantum sunt vt illum conseruent, & inuent operationes vitales; illæ non sunt necessariò animatæ. Humores & spiritus non pertinent ad primum illud genus partium, quæ hominem component; sed tantum necessarij sunt ad conseruationem hominis, & ad operationes eius vitales. Homo carens sanguine mutilus esset, eo quod careret parte ad operandum vitaliter necessaria, non quòd careret parte aliqua componente.

Secunda obiectio.

Obiicitur secundò. Verbum diuinum non assumpsit formam vllam inanimatam: constat autem ex fide, quod assumpsit sanguinem, qui pretium est vitæ nostræ: ergo sanguis est animatus.

Respondeo, Verbum diuinum vnisse sibi ea omnia, quæ faciunt ad integritatem corporis humani, imò etiam ea quæ faciunt ad ornatum, assumpsit: ergo etiam formam sanguinis, tamen non est anima.

Tertia obiectio.

Obiicitur tertio. Nullum est signum vitæ certius, quam motus localis; sanguis autem discurrit per totum corpus: neque dici potest, dari vim aliquam tractiuam in venis & arteriis, quæ causet motum hunc sanguinis & spirituum; quia si esset vis aliqua tractiua, quæ moueret sanguinem, priores venæ ita illum retinerent, vt ad vltiores partes peruenire non posset: ergo sanguis est animatus.

Respondeo, motum sanguinis non posse causari

Ab ipso sanguine, sed causari per vim tractiuam, quæ singulis inest membris, in quibus facultas est trahendi, retinendi & expellendi, prout conuenit ad salutem viuientis. Si enim sanguis ipse moueretur ab intrinseco, ille motus deberet fieri cum praua cognitione & appetitu; debet enim determinari ad motum sursum, & ad motum deorsum; nam in venis aliàs ascendit, aliàs descendit: non potest illa determinatio fieri nisi ab extrinseco, vel à cognitione. Nego igitur, quod sanguis retineri debeat totus in venis prioribus, à quibus trahitur tantum sanguinis, quantum necesse est; neque impeditur fluxus ad alias partes, à quibus etiam trahitur.

Sequitur ex his primò, medullam ossium esse partem inanimatam, quia illa est nutrimentum ossium; neque differt essentialiter à sanguine, quem dixi esse inanimatum. Dicitur etiam à Medicis communiter adipem esse inanimatum, quia est pars sanguinis frigidior & pinguior, quæ excludat ex venis, vt eos quidam tenuior. Vnde qui venas habent exiles, facilius pinguescunt, quærentes scilicet exitum per poros sanguine. Colligitur autem, adipem esse sanguinem, eo quod animalia ex sanguine careant adipe, & quia vitæ sunt breuioris animalia magis pinguis.

Sequitur etiam lac & semen non esse animatum. Lac enim solo colore differt à sanguine, & est alimentum vberum, à quibus proinde differe debet essentialiter. Semen autem non est pars hominis; puer enim integer homo est, neque habet semen. Imò illud excrementum est animalis, non autem aliquid viuens in animali.

S. II.

Vtrum pili & ungues sint animati.

Dico secundò, capillos etiam & ungues esse partes inanimatas. Ita docent quoad pilos Suarez, Vasquez, Toletus, contra Hurtadum, Ariagam, & plures à Thomistis.

Obserua primò, multos ob fines conuenienter datos esse capillos humano corpori, vt rectè obseruat Ambrosius lib. 6. cap. 9. [Ipse autem vertex capitis, inquit, quàm suauis, quàm gratus, quàm speciosa celsities, quàm veneranda in senibus, quàm reuerenda in Sacerdotibus, quàm terribilis in bel-latoribus, quàm decora in adolescentibus, quàm compta in mulieribus, quàm dulcis in pueris: alium sexum erinita, alium tonsa non decet. Ex arboribus licet quæ sit humani gratia capitis as-timare. In capite arboris omnis est fructus, ibi omnis est pulchritudo; illius coma nos aut à pluuibus te-git, aut defendit à sole: tolle arbori comam, arbor tota ingrata est.] Quibus verbis exprimitur, datum esse celsariem homini ad ornatum, & tutelam; ad-de etiam ad purgationem fuliginosorum excrementorum.

Obserua secundò, materiam ex qua fiunt capilli, esse vaporem quendam crassum, siccum, viscosum, fuliginosum, quem edicit calor naturalis resoluens humidum. Maxime autem fiunt in capite, quia il-lus vaporis copia maior exit è cerebro. Abundat huiusmodi vapor, idè magis crescunt eorum ca-pilli. Varius capillorum color oritur ex temperie Col-ore diuersa illius vaporis; nigri enim capilli fiunt quan-do vapore deuto excrementitia illa materia in per-fectam fuliginem elaboratur: flauis, quando mate-ria minus torretur: albi, quando materia illa ma-gis abundat pituita: rufi, quando capillorum materia

materia aequalem habet pituitae ac flauae bilis temperiem. Aliam tamen Aristoteles *lib. 5. de generatione animalium, cap. 4.* affert causam canitiei; vult enim illam oriri ex eo quod materia non sit satis digesta & concocta propter defectum caloris.

Crispitudine.

Causa ergo canitiei erit primò humidi nutrimentalis paucitas, & imbecillitas; tunc enim putrescere facile potest, & putrescendo canescere. Secundò permixtio pituitosi humoris, quod ipsum volebat Hippocrates. Tertiò cruditas & incoctio alimenti.

Querit Aristoteles cur soli homini, non autem reliquis animantibus canities eueniat? Respondetque, quia cutis humana tenuior est quam animantium reliquorum; idè parum confert ad tingendos pilos, quos efficit canos humidi aquei abundantia, & incoctio alimenti. In mortuis non canescunt pili, quia nullum de nouo in illis trahitur alimentum. Vide Authorem libri de coloribus, & Scaligerum *exercitatione 114.*

Capillorum crispitudo oritur ex obliquitate pororum, ex quibus materia oblique truditur; vel ex duritie cutis, quae propterea impedit ne materia capillorum rectè tridatur. Crassitudinis vel tenuitatis capillorum causa est cutis, quae aliis est crassior, aliis tenuior: crassi enim gignuntur pili ob copiam portionis terrae, & meatuum laxitatem: tenues gignuntur ob copiam humoris, & meatuum angustias.

Caluitium nascitur ex obstructione pororum, & duritie cutis, vel etiam ex defectu vaporis humidi & pinguis; idè nec mulieres, nec pueri, nec eunuchi, nec caeci nati caluescunt, quia humisimodum vapor in illis redundat. Scripsit de caluitio elegantem Synesius orationem. Vide Valesium *cap. 19.* His ita positis,

Pili non viuunt.

Ratio cur pili non sint animati, est quia illi non crescunt per intussusceptionem, quae propria est accretio viuientium; sed solum per iuxtapositionem, cum non crescant nisi versùs vnā partem, in longum videlicet duntaxat. Imò capilli crescunt etiam in mortuis. Refert sanè Synesius citato loco, aliquem qui obierat rasis vsque ad cutem, sequenti anno repertum esse cum proluxa coma, & barba.

Neque vngues.

Eadem vnguium ratio est, qui per solam crescunt iuxtapositionem, & capiunt augmentum ex materia superflua & reiectanea: nerui enim & venae digitorum recrementum habent crassius quam aliae partes; ex eo autem fiunt vngues. Crescunt etiam in cadaveribus. Imò extremos vngues nemo dixerit esse animatos; sunt autem eiusdem rationis cum aliis partibus eiusdem vnguis. Neque sunt partes manus, sed earum duntaxat ornamenta & munimenta, sicut pili.

Prima obiectio.

Obicitur primò. Pili puerorum multò minùs crassi sunt quam in adultis: ergo pili crescunt etiam in latum, quod est multò clarius de vnguib.

Respondet satis manifestam esse causam, cur pili sint crassiores in adultis quam in pueris; quia scilicet pori adultorum multò sunt latiores; unde mirum non est, quod crassior ex his prodeat capillus: non ergo vitaliter crescunt capilli, quia non idem capillus qui tenuior priùs fuit, latior euadit, sed nouus capillus latior est priore; quod non est crescere vitaliter. Idem de vnguib. responsum est, qui, vt probaui, non crescunt vitaliter, eum non idem vnguis, qui minor fuit priùs, fiat latior & maior, sed nouus semper, & nouus prodeat.

A Obicitur secundò. Si capilli non crescerent vitaliter, nullum illi haberent terminum determinatum magnitudinis: habent autem, quia si non resecantur, postquam peruenierint ad certam magnitudinem, non amplius crescunt.

Secunda obiectio.

Respondet tunc cessare incrementum capillorum, quando ita resistunt propter magnitudinem, vt non possint amplius propelli; imò haec est ratio, cur quò resecantur saepius, eò magis crescant, quia scilicet ob minorem resistantiam propelluntur facilius.

Obicitur tertiò. Constat homines interdum vehementi mortis imminenti periculo terrores, vna nocte incanuisse: si autem pili essent excrementa, nec haberent poros, per quos nutriendi, id non accideret: ergo pili non sunt excrementa, sed habent poros per quos nutriantur.

Tertia obiectio.

Respondet tamen illam canitiem ex eo accidere, quod calor naturalis vi metus ita retrahatur, vt albedo causetur in pilis per frigus quod remanet: nego ergo id fieri per poros, qui ad nutritionem pilorum deseruiant.

§. III.

Verum ossa & dentes sint animata.

Dico tertiò, ossa & dentes, quamuis nullo modo sentiant, animata tamen sunt, & reuerà viuunt.

Conclusio.

Obserua, dentes ossa esse omnium durissima, intus caua, venulis, neruisque praedita, maxillarum alueolis articulata, membranis & carne ceu vinculis alligata, & ad comminuendos cibos destinata.

Dentes.

Primò dixi osses esse dentes, quia id ostendit eorum soliditas, lenor, & candor; albi enim dentes sunt, nitidi & politi, quamuis senio, morbis, & incuria liuidi & obscuri fiant; equin tamen senectà fiunt candidiores, ex Aristotele *lib. 2. historia animalium, cap. 5.* Fateor tamen differre dentes in multis ab ossibus communibus, propter quod negarunt plerique cum Philosopho, dentes esse osses naturae; nam soli toto augentur vitae tempore: nudi sunt, nulloque vestiti periosteis. Habent venas, quia perforato dente, sanguis aliquando effluit, & sine venis nequaquam crescerent. Habent etiam arterias, idè nonnunquam sentitur in illis dolor pulsatorius & inflammationes, citra gingivarum inflammationem. Nervos etiam habent molles & tenues, qui in prima conformatione per ipsorum cavitatem minutissimis furculis disseminantur.

Eorum materia.

Secundò dixi durissimos esse dentes; soli enim flammis indomiti non cremantur, & cum sarco-phago lapide totum corpus intra dies quadraginta absumatur, soli dentes inuicti manent; imò illi ferè soli respuunt ferri aciem, & sculpturæ inepti sunt, teste Philosopho *lib. 3. historia.*

Durities.

Tertiò dixi dentes esse intus cauos, non vbi-que, sed iuxta radices tantum; nec in adultis eadem est cavitates, quae in puerulis: istis enim vsque ad annum septimum ampla est cavitates, tenui squammà operata, humore albo veluti muco plena; adultis verò indurata instar ossis, resiccatoque humore oppletur tota ferè cavitates, manetque sinus exiguus, vix eam attingens partem, quae supra gingivas est. Haec cavitates excipiunt nervos à tertia coniugatione; venas quoque ac arterias. Cæterum dentes anteriùs nonni hil rotundi sunt, posterius impressi; nunc tenues, nunc acuti, nunc plani.

Cavitates.

plani. Pisces solum acutos habent, canes serratim positos, apri exertos; homini alij sunt incisores, alij canini, alij molares. Cæterum tota hæc cavitatis membranâ tenuissimâ succincta est, cuius sensus est exquisitissimus, & cum humorem à cerebro defluentem excipit, dolores existunt acerrimi, qui tandiu vexant, quandiu residet humor in membranula.

Articulatio.

Quartò dixi dentes maxillis articulari per gomphosin, quod est dentes in maxillarum præsepia inferi quasi clauis ligno infixos, ita ut moueri non possint: laxari tamen eos aliquando contingit, eorum compage laxiore reddita, dum alimenti penuriâ laxiores euadunt. Vniuntur verò nervorum, membranarum, & carnis interiectu. Nervus in cavitatem insertus dentes firmat, membranarum villi radicibus hærentes, illos colligant; caro autem gingivarum illos vndique deuincit, quâ exesâ concidunt aut vacillant dentes. Tanta porrò inter illos symmetria est, ut singuli quasi lyre clauiculi extra gingiuas nudi prominent, & inferni supernis, dextri sinistris magnitudine, numero, figurâ sint æquales. Dentium vsus omnibus est notus; seruiunt enim præsertim articulationi vocis & cibis comminuendis; ad ornatum etiam maxime faciunt, & videntur positi esse ut vallum ipsius linguae.

Prima dentium conformatio.

Certum autem est, dentes cum reliquis ossibus in vtero matris delineari, sed aliquandiu latitare in maxillis, nec erumpere simul omnes; alij enim celerius, alij tardius locellos egrediuntur, & maxillas perforant; ut anteriores, quia sunt acutiores, & minores. Latitant initio dentes, ne lædatur nutriticis papilla. Septimo mense si tussiculâ vexetur infans, prodeunt ex alucolis, quo tempore multa patitur symptomata, eo quod gingivæ à dentibus perforantur ut à stimulis. Delineantur ergo primum in vtero dentes, sed sensim formantur; sed cum dentibus tamen nati sunt Marcus Curius Dentatus, Cneius Papyrius Carbo.

Numerus.

Raritas & paucitas dentium breuioris vitæ signum est Aristoteli, quia indicat spermaticæ materię inopiam, & malè præparat cibos. Sunt autem dentes communiter triginta, vel triginta duo. Ait Aristoteles viris inesse triginta duos, mulieribus triginta; quod ridet Vesalius. Sed cum ergo sunt in singulis maxillis dentes, quatuor incisores, quos primores vocant, eo quod in anteriore sint oris parte: acuti sunt ut facilius secent, eorumque duo caninis proximi reliquis sunt minores. Canini non tam à figura, quàm ab usu vocantur: in singulis maxillis non sunt nisi duo; vocantur oculati, quod nervi mouentis oculum quadam particula in eos feratur; idè nocet oculis eorum euulsio. Molares, seu maxillares instar molarum cibum comminuunt, in ore interiore locantur, inæquales sunt, asperi, duri, magni, & lati. Duo molares posteriores vocantur dentes sapientiæ ab Hippocrate, quod trigésimoquarto nascantur ætatis anno, & quarto septenario, quo tempore integra esse debet sapientia. Latinis vocantur gemini.

Radices.

Singuli dentes radices suas habent; canini & primores vnicam; molares binas aut ternas: semper verò dentes inferioris maxillæ radices habent minores, & pauciores, quia superiores cum sint penduli, firmitus hæreere debent quàm inferiores, qui radicibus suis incumbunt. Et hæc satis sint de mirabili dentium conformatione.


Ratio cur ossa dixerim animata esse, facilis est, quia illa sunt præcipuæ ferè partes corporis vi-

uentis, & verè nutriuntur vitaliter, cum crescant in omnem partem. Dentes verò cum naturæ sint ossæ, viuunt etiam ipsi, cum nutrantur per intussusceptionem, & in omnem partem; nam pueris minùs lati, & longi sunt dentes quàm sint in adultis. Denique continuantur cum carne per quasdam fibras.

SECTIO III.

De partibus corporis animati, prout inuicem comparatis.

NON est satis comparasse partes corporis organici cum anima, & dixisse quænam partes informantur animâ, nisi comparentur etiam illæ inter se, dicaturque quænam inter illas sint partes principes, utrum vna tantum sit pars omnium principis, ut censuit Aristoteles, qui cordi omnia deferret; an verò illæ sint tres, hepar, cor & cerebrum, ut censent communiter Medici cum Galeno. Vocatur autem illa pars principis, à qua deriuatur aliqua virtus ad conseruationem totius animalis necessaria; vnde iuxta Aristotelem, & Peripateticos solum cor erit pars principis in viuentis, si ab eo derinentur venæ, arteriæ, nervi, & in eo fiant operationes omnes, tum imaginationis, tum appetitus. Erunt autem tres partes principes, si ab hepate deriuentur venæ, à corde arteriæ, à cerebro nervi. In qua controuersia coguntur nunc Peripatetici recentiores deferere suum principem, & Medicis adherere, quibus omnino constat ex indubitatis anatomie documentis, neque venas, neque nervos oriri à corde, sed illas à iecore, istos à cerebro. Vnicuique autem in arte sua maxime credendum videtur.



DISPUTATIO II.

Ordine XVI.

De anima vegetatiua.



Ut hæc dixi, ea spectant ad intelligendam in genere quidditatem & propriam rationem animæ: nunc ut ad singulas eius species explicandas deueniam, ordior à vegetatiua, cuius tres sunt potentie, alitrix, auctrix, vegetatrix: tres actus, nutritio, augmentatio, generatio. Finis alitricis est esse simpliciter; finis auctricis est esse cum iusta magnitudine; finis procreatricis est esse perpetuum. Auctrix perficit viuens, alitrix conseruat in indiuiduo, procreatrix conseruat in specie. De illis igitur tribus sigillatim dicendum est.

QVÆSTIO I.

De potentia nutritiua.

HÆC est humanæ vitæ custos & reparatrix, quæ non intermisso labore perpetuas eius iacturas restaurat. Eadem mater & nutritrix; quotidie generatur per eum viuens, & à morte defenditur semper imminente, nisi adit facultas ista mirabili arte reparans ruinas, quas ipsum sibi viuens infert.